PHILIPPI MELANCHTHONIS DE RHETORICA LIBRI TRES.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS
EX OFFICINA ROBERTI STEPHANI E REGIONE SCHOLAE DECRETORVM.
M.D.XXVII.

PHILIPP. MELANCHTHON BERNARDO MAVRO S.

OECVNDA FVIT EPISTOLA tua, mi Bernarde, quæ ſenas vnica literas hactenus apud me tibi peperit. Illas verò, ſiue tuarum literarum elegantia emerebatur, ſiue amicitia noſtra, plurimi quidē fiet vtrunq;: hoc, quod ab amici officio abſens nō cecideris: illud, quod in literis adhuc tuis, hoc eſt, bonis, quibus ante ſolebas, cum tecū agerem, verſari videris. Quod cum re ipſa, dignum eſt laude, tum pro vſu ſtudiorum tuorum difficile. Sic enim exiſtimo, magna ex parte ad impuras iſtas & indoctas literas animū cogi tuum, quæ ſolæ hoc tempore dicuntur philoſophicæ. Vincit enim perſuaſio hominum noſtrorum, vt προγύμνασμα bonorū ſtudiorum degenerem quandam & dilutam philoſophiam præſcribant. Ibi ſi ingenio non voles abuti tuo, & id quicquid eſt vel ocij vel temporis, lucrifacere reliquis ſtudijs tuis, neceſſe admodum erit, acri iudicio rem adeò inſynceram temperes, & aſtu quodam hanc Lernam adoriare. Nam crede mihi, alia eſt literarum ratio, qua ingenium, qua mores, qua rerum communium ſenſum erudias. Et paulum quæſo auoca animum à vulgi opinionibus, ſuóque literas pede metire: tum intelliges, & impuras illas multis profecto modis noxias eſſe, & his honeſtis vere illud ipſum τὸ καλὸν ſua & natiua facie percipi. quam fere res bonæ aliæ nube quadā tegunt, & neſcio in quam ἄϊδος κυνέην claudunt. ſolæ literæ ſub lucem, ſub bonorum oculos, ἀκίβδηλον, & nō adulteratam tantum non vndiq; conſpicuā exponunt. Dolet ani-

mo,eas iacere literas,quibus deuictis,ſacra omnia & prophana conſpurcari cœperunt:quod vt intelligas, ab ipſis pueritiæ rudimentis coniecturam cape, Publicus quondam mos fuit,percepta re grammatica, Rhetorũ curæ pueros commẽdare, quibus authoribus,omni genere humanorum ſtudiorum alebantur. Sic vniuerſa tractari ſolebat, vt eorum eſſet vſus aliquis dicendo, iudicando. Exercebatur iuuentus pulcherrima ratione,cum propoſitis thematis declamaret:qui labor,& animum & vires augebat. Ibi ſuus literis honos conſtabat,ibi fructum literarum ſentiebant ſcholæ. Quid enim refert cõmemorare, quàm multa, quàm felicia monumenta ex illis vſq; ſcholis noſtra ætas habeat? Rhetoribus ſucceſſerunt,qui iuuentutem dialecticis illis inconditis,vt modeſte dicã, imbuunt: quæ ſanè probaturus eram,ſi aliquem ipſi vſum eorum agnouiſſent.Nam & dialectica amo, & ſic mihi de illis videtur,neminem recte erudiri poſſe, qui non & illa diſcat. ſed nugas horum temporum nolo,quibus factũ eſt,vt pro apoſtolicis literis, ſophiſticas habeamus:Nazianzenis,Auguſtinis, Lyranos, Carrucanos,Sententiariorum ſex milia.Quos vt non eſt meum,nec in ordinem cogere,nec eximere numero:ita hoc,quanquã & fortiter & audacter ſatis, auſim dicere,parũ admodum in iis eſſe,quod cum ſpiritu illo euangelico recte cõueniat.Ex quo grege ſunt, quibus nondum ſatis Eraſmus probatur,qui primus, etiam doctorum iudicio,Theologiam ad fontes reuocauit:Capnionem factio iſta non eſt paſſa, à flãmis, ab incendio pulcherrimas bibliothecas aſſerentem. Adeò ex vere doctis nemo eſt, cui non fuerit hactenus ab audaci imperitia periculum. Sed refloreſcũt

fauore ſuperûm bonæ literæ,& erigunt ſeſe paſſim. Quanquam adhuc partes egregie ſuas tutantur, qui vulgo ſcholis ἀκροάματα philoſophica pēdunt. quæ ſi qua fortuna poſſent caſtigari & purgari, magna fieret acceſſio (ſic enim videtur mihi) bonis ſtudijs. Ac niſi me fallit opinio mea, ex dialectica pendēt omnia quæ vt ſunt initia ſtudiorum, reliqua ex ſuo modo temperant. Vigebant literæ quondam, quum & illa eſſet ſalua, hoc eſt cum paribus officijs dialectica & rhetorica iuuentutem erudirent. Iam exploſa è ſcholis rhetorica, vide quàm ſit exigua, quàm ſit manca, quàm ſit inutilis dialectica, vt vel hinc agnoſcas, quāti referat, σύμ τε δύ' ἐρχομένω. Eſt apud nos in Saxonib⁹ vir quiſpiā iuxtà bonus ac literatus, cui crebra eſt de rectis literis mētio, qui per iocū rogitans quendam ex iſto genere profeſſorum, quam ſibi frugem videretur ex Analiticis poſterioribus Ariſtotelis feciſſe: Tum ille, architectona factum, qui neſcio quas illic geometricas demonſtrationes didicerat. Ridicule quidem, ſed vere. Quid enim aliud peteret ex hoc tam cæco & inadito ſpecu, vt ne ad limina quidem tutò peruenire liceat? Id genus exempla ſi voles & à tuis pete. Perpauci enim, ſunt qui hoc ipſum genus ſtudiorum intelligant quo aluntur: ſic enim abutimur Muſis. Quare viſum eſt mihi paucis, idq; obiter tantum notare, qui dialecticorum qui rhetoricorum vſus ſit. & illa quomodo è ſuis authoribus peti commode poſſint. Fortaſſe videbor nugari aliquibus, ſed veniam mereor, qui hiſce qualibuſcunque nugis in viam reuocare ſtudioſos connitor, alioqui ſatius fuerit interim, ſi quid erat ocij, felicioribus nugis impendiſſe. Primum omnium, vt dialectica non vlla ratio-

ne alia diſcuntur, quàm vt horum temporum moribus ſatisfiat, ita ſunt qui rhetoricam arbitrantur, modum epiſtolarum ſcribendarum, aut falſas principū laudes, ipſorum enim verbis vtor, vbi te quæſo, quid iſtis facias hominibus? Equidē hæc inuitus ὥς ὑπ' ἐξ οὖσαν, & præter decorum attingo. ſed admonitos oportet ſtudioſos, & interim mei rationem non habebo, dum illi ſapere incipiant. Nam vt ſcias, quæ ſit

dem oratoris & dialectici arumētum.

ratio ſtudiorum de quibus dico, commune argumētum eſt & rhetori & dialectico hic intra fines propoſiti negotij velis paulum contractioribus nauigat: ille euagatur liberius. huius ad docendum, illius ad mouendum eſt accommodata oratio: quem in modum fertur Zeno, quicunq; is fuit, cum dialectica rhetoricam contuliſſe. Proinde dialectica primùm tradenda ſunt, in quibus iudiciū artis & τῆς μεθόδου fines, inuentionis loci, argumentorum figuræ, collocandi ra-

Dialectica.

tio facilius cernitur. Eſt enim dialectica, cuiuſq; thematis propoſiti exacta & artificioſa perueſtigatio. vt ſi de officio dicendum ſit, exigit ars, vt primùm finitione declares officium, deinde ſubijcias partes: quas ſi inter ſe cōpares, erunt quædā officio affinia, quædam contraria. Quo exemplo, ſi, quicquid omnino inciderit agendum, tractes, dialectici munere fungeris. Fuit hæc quondam exercendæ iuuentæ conſuetudo, vnde ſunt adhuc in noſtris ſcholis congreſſus illi, quos diſputationes vocant. Tum ſi iecerit fundamenta διαλέξεων vſus, omnino ad communes cauſas perducendum adoleſcentem cenſeo: in his locos communes, vitiorum, virtutum, fortunæ, mortis, diuitiarum, literarum, & ſimiles exerceat. Quo futurum eſt, vt animum ad ſummas diſciplinas inſtructum

afferat:de aliorum ſcriptis non improbe iudicet,ipſe
commentari noua poſſit. Ad hoc plurimum condu-
cet,formas locorum communium diligenter notatas
in manibus habere, vt ſi quam ſententiam, ſi quod
adagium, ſi quod ἀπόφθεγμα dignum,quod in ta-
bulas referatur,exceperis,ſuo recondas loco. Accedũt
fabulæ quæ vt plurimum poſſint,allegoriæ præſtant:
cuius generis Plato, & qui ad illũ proxime accedunt
artifices,ſuas. An potuit explicari Homericum mo
ly prudentius,quàm eſt à Maximo Tyrio expoſitũ?
Et vides quantus in Silenis Alcibiadę ſit Eraſmus. Vt
in alijs admirandus,ſic ea declamatione, neſcio quo-
modo ſeipſo mihi maior videtur, ac plane γνήσιον
τῆς πειθοῦς,& vt Sophocles ait, δεινὸν πρόσωπον
referre. Interim è manibus tuis vt excidãt Eraſmi de
Copia,Chiliades adagiorum,ne committe. Dici non
poteſt,quàm ijs operam ſis locaturus vtilem. In hoc
ſtudiorum veluti campo qui iuuentam exercuerit,vi-
rium ſanè multum ad ſublimia feret. Organon diale
ctica miniſtrabit,vt ſi qua inciderint forte,habeat ceu
ſyluam orationis & artificium, quo argumenta recte
diſpenſet. Augebit ſplendore rhetorica,quæ omnium
ſibi artium ornamenta aſſerit. Atq; ex his eſt demon
ſtratio,quã in dialecticis docet Ariſtoteles,id eſt, eui-
dens & ordinata rei cuiuſq; expoſitio,vnde omnium
argumentorum riui vt è fonte ducũtur, ampliſſima
diſſerendi materia. In hoc Ariſtotelis dialectica debe
bant legi,in hoc à Cicerone multa,multa à Fabio ſcri
pta ſunt:quæ partim imperitia noſtrorũ hominũ ia-
cent neglecta,partim indoctis cõmentarijs obſcurata
ſic diſcũtur,vt præſtiterit ea nõ attigiſſe. Sed hæc ego
fortaſſe lõgius. Quanquã ita ſit cõditio rei,vt niſi ob-

tundas & frangas hoc hominum vulgus, nihil agas. Ego verò de rhetoricis pauca,neq; per ocium,ob hoc potiſſimum ſcribo,vt doceam qui ſit dialecticæ vſus, nec probari mihi vlla ex parte noſtri ſeculi commentarios: tum ſi qui recta via literas aggredi volent, ad rhetorum præcepta ſtatim ſe conferant, nihil in vllo genere ſtudiorum promoturi, niſi hæc meditata teneant. Tu quoque è re tua feceris Bernarde, ſi è noſtro conſilio ſtudia comparaueris tua. Vale. VVittembergæ in Saxonibus,Menſe Ianuario, Anno M. D. XIX.

PHILIPPI MELANCHTHONIS DE RHETORICA LIBER PRIMVS.

RHETORICA, DICENDI ARtificium, vſui ſanè magno veteribus fuit, nõ ad pædıan ſolum induſtria quadam tractandã, ſed omnino etiã ad reipublicæ adminiſtrationem, forum, conſilia, ſuadendas leges, diſſuadenda vitia, ſanciendda belli paciſque iura, denique, ad omnia ciuitatis recte cõſtituendæ munera. Eam ob cauſam inter ingenuas artes vel primas tenuit. Docebantur rhetorica pueri, partim quo haberẽt veluti organon quoddã, ad quod exigerẽt reliquas diſciplinas, partim quo de ciuilibus cauſis recte iudicare cõſueſcerent: & Ariſtoteles quidem ciuilem facultatem vocat. Suos quoſdam profeſſores habuit, rhetoras & ſophiſtas. Paulatim vt ſcholæ philoſophis ceſſerũt, rhetoricæ ius omne dialectica ſibi aſſeruit, adeò, vt his temporibus vix etiam rhetoricę nomen, nedum vſus agnoſcatur: qua abolita, dialecticam barbari quidam & ἄμουσοι literatores adeò eneruem, adeò ieiunam tradiderunt, vt in aniles nugas, & quædam ceu ludicra puerorũ ænigmata abierit. commoditas vniuerſa ignoratur, nam ad inueniendum & iudicandum tota pertinet. Studioſæ iuuentuti imponunt, qui προγύμνασμα bonorum ſtudiorum dialectica cenſent, quo ſic præludatur ingenijs, vt ſi quis Muſico tradendus puer, antea fortiter ac barbare tantum vociferari diſcat. Nos in eo ponemus operam, vt intelligant iuuenes, quibus cum dialectica rhetoricæ conueniat, quibus non conueniat. Et vtriuſque artis vſum aliquẽ præſcribemus, admonebimúſque qua ratione veterum rhetorica &

dialectica legenda ſint. Lectorem nolo, qui putat aliquid omnino frugis eſſe in commentarijs dialecticis, quæ adhuc ſcholæ noſtrorũ hominũ mordicus tenẽt.

GENERA CAVSARVM.

G Enera orationum pro varietate argumentorum varia ſunt, & quot ſunt rerum ſiue cauſarum, de quibus agitur modi, totidem ſunt orationum genera. Res autem aut futuræ ſunt, aut factæ: de futuris deliberamus: facta, vel in iudicium vocantur, vel extra iudicium docentur, laudantur, vituperantur. Ex his tria ſunt genera orationum, totidem enim ſunt cauſarum figuræ. Deliberatiuũ, quod ad conſilia pertinet, Ducenda vxor an nõ. Iudiciale, litium eſt, Clodium occidit Milo, iure occidit. Demonſtratiuum, accommodatum docẽti, narranti res geſtas, laudanti, vituperanti. Singula ſingulis capitibus explicabo.

Tria orationum genera.

ORATORIS OFFICIA.

C Auſas dicet orator, ſi inuenerit rei de qua dicturus eſt, naturam, vim, partes, circumſtantias, affinia, contraria: eáq; ſic diſpoſuerit, vt exigit vel rei conditio, vel opportunitas: & verbis ac ſententijs ornauerit. Inuentio eſt, cum propoſitum argumentum ad locos inuentionis exigitur. Vt ſi de iuſtitia ſit dicendum, ad inuentionis locos concedes: quid iuſtitia, quæ eius partes, quid efficiat, quę affinia iuſtitiæ, quæ pugnantia cũ iuſtitia. Et de locis infra. Diſpoſitio, inuentorũ artificioſa collocatio. Elocutio, ornat9, & ſpecies orationis, Aliã humiles cauſæ, aliam ſublimes poſtulant. Memoriam ac pronũciationem natura ſuppeditat, & in eis

Inuentio.

Diſpoſitio.

Elocutio.

quid ars poſſit, ex alijs authoribus diſces. Ego in hoc potiſſimum rhetorica ſcribo, vt locos inuentionis, iudicij, & diſpoſitionis aliquanto facilius aſſequâre, quàm vulgo tradũtur. nam hi ferè à magnis rhetoribus negliguntur, cum ea ſit ſola dialecticorum facultas, nihil minus quàm ſua illi agnoſcunt.

ORATIONIS PARTES.

ORatio ferè his partib⁹ cõſtat: exordio, quo præparamus auditorem: narratione, quæ eſt cauſæ expoſitio: cõtentione, qua noſtra confirmamus, & aduerſa refellimus: peroratione, quę orationis colophon eſt.

DE GENERE DEMONSTRATIVO.

SOlebat quõdam iuuentus, demonſtratiui generis cauſis primûm exerceri, vt Quintilianus indicat: vel quòd eius creber in reliquis generibus vſus ſit: & ſæpe locos, argumenta, iudicialibus, ſuaſorijs, ſuppeditet: vel quòd omnium videretur tractatu facillimum. Nos à genere demõſtratiuo vel hõc maxime ordimur, quòd ex ipſo loci omnes inuẽtionis, iudicandi ratio tota naſcitur, & ad reliqua genera viam munit. Quod qui accurate ac diligenter tractauerit, plurimum adiumẽti ad literas recte tractandas eſt habiturus, nedum ad cauſas communes. Verſatur enim genus demonſtratiuũ primũ in docendo, deinde in laude & vituperio. De poſteriore multa ſatis rhetores. Prior ſpecies parcius colitur, eò quòd à dialecticis in ſcholas vocata delituerit. Etenim quũ tria ſint genera cauſarũ, ea rhetores ſibi adſeruerunt, quæ foro & conſilijs erant frequentia: id in quo plurimũ eſt artificij, nempe demonſtratiuũ,

Demõſtratiuũ genus duplex.

& ex quo alia riuos ducunt, ſcholis reliquerũt. Quod niſi meditatũ habeãt ſtudioſi, in alijs parum efficiẽt. Duplex igitur eſt genus demonſtratiuum, vel quod docentibus accommodatũ eſt: vel quod ad laudandũ & vituperãdum pertinet. De laudatorio quidem poſtea: de eo quod in docendo conſiſtit, prius agemus: nam & multiplex eſt, & recta diſcentibus apprime neceſſarium, ad hæc ferè ignoratum vulgo.

DE PRIMA PARTE GENERIS DEMONSTRATIVI.

Genus demonſtratiuum, ſiue artificium docendi, eſt, quod exacte naturam & conditionem cuiuſque rei certis inſcriptam locis ſic expedit, vt ſubterfugere nõ poſſit inquirentẽ quicquid de inſtituto ſciri omnino licet. Duo huius generis officia ſunt: alterum, vt per locos ſuos in promptu habeat ſtatim quicquid de vnaquaque re dici poteſt: alterum, vt ordine qui maxime inſinuet cauſam audientis animo, locos diſpenſet. Hoc alij μεθοδικὸν, alij ἀποδεικτικὸν, alij διδακτικὸν, ἐπιστημονικὸν alij vocant. Atque illud ipſum eſt, quod Ariſtoteles dialecticę veluti κορυφαῖον & caput fecit, vt ſicut rhetorum partes in πραγματικοῖς ſunt, ita vniuerſum dialectici ſtudium demonſtrationem ſeu apodeixin, hoc eſt, euidentem quandam docendi rationem complectitur, quam oportet ante didiciſſe, quàm cauſæ ciuiles affectantur. Atque vt citra ſtudium ciuiliũ cauſarum literas etiã recte tractare licet, ita citra genus demonſtratiuũ tractari rite nõ poſſunt: omnes enim diſciplinæ ad demonſtratiuum ceu amuſſim exiguntur. Porrò hæc eſt dialecticæ tota fabrica, ratio apodeixeos, hoc eſt, ordo docendi. Quod qui non intel-

Duo docẽti neceſſaria.

Demõſtratio quid apud Ariſtotelem.

ligit,vt eſt vulgus quoddã profeſſorum,nec vim dialecticæ, nec vſum demõſtrationis aliquem agnoſcit: & quos maxime oportebat faciles eſſe, ipſi ſe innectunt argutijs, & obſcurant veluti Cymmerijs tenebris,planéque illum,qui τὸ σκότισον fertur in ore habuiſſe referunt. Omnino genus rerum demonſtratiuum eſt, circa quod verſatur μέθοδος, quæ hoc poteſt,vt quocunque propoſito themate,natura eius vniuerſa,artificioſa & compẽdiaria ratione exigatur, quam niſi teneas, nihil eſt, quod rite docere queas, nihil quo ſequacem audientis animum illectes. Quod ſi omnia vt in buccam venerint expuas,confuſanea illa,& inefficax ratio mole ruet ſua. Vt interim taceã qui ad methodũ non aſſueuerunt,effœtis prorſum & ſterilibus ingenijs eſſe, ineptos ad omnia literarum officia,quum inuenire ipſi per ſe nihil queãt, iudicare de aliorum ſcriptis recte non poſſunt. Contrà qui ad illam conſueuerunt, & plurima ipſi inueniunt,& iudicant prudenter,& docent clare. Tantũ abeſt,vt doctus cenſeatur,qui vſũ διδακτικῶν ignorat,vt ſatius quoque fuerit non guſtaſſe literas,quàm adeò turpiter & impure didiciſſe.Huius generis oratio exordium non admodum requirit:narratio quædam perpetua eſt, pro re,quædam confirmabuntur, quædam ita confutabuntur, vt ſuis obiter locis admonebo.

Oratio vniuerſa quęſtionibus aliquot abſoluetur,quę interim vice ſtatus erunt.

Sunt enim inueniendi organa

An ſit,

Quid ſit,

Quibus cauſis partibúſve conſtet,

Vnum an multa,

Quæ partes,
Quæ comparatio partium,
Quæ officia,
Quæ affinia,
Quæ contraria.

Vt earum rerum quæ abſconditæ ſunt, demonſtrato & notato loco facilis eſt inuentio: ſic quum perueſtigare aliquid volumus, locos in numerato vt habeamus, oportet. Aliter effici non poteſt, quod in hac re primum putant, vt ab ijs, quibus auditor veluti certis fidem habet, ad ea quæ nondum agnoſcebat, traducatur. Qui volet igitur ex ipſis deriuare fontibus rē aliquam, filum harum quæſtionum veluti ὁδοποιὸν ſequatur. Sunt autem quæſtiones, quas Ariſtoteles, quem hac parte maxime ob id ſequimur, vt qui ſit eius vſus, quem ſcholę docent, intelligatur, in Analyticis poſterioribus tractat, vbi artificium inueniendi, diſponendi, docēdi, graphice delineauit. Sed illic quęſtiones tantum quatuor tradit, ea videlicet ſola venatus, quæ proprie ad ſubſtantiam rei pertinent: ad externas affectiones rerum, ad accidētia, officia, affinia, contraria non egreſſus. At in topicis idem pluribus agitur, vbi ijs quę ſunt in natura rei generibus & differentijs, idem adiungit ac diuerſum: accidenti magis & minus, & reliqua. Satius viſum eſt mihi, quæſtiones in vnum omnes conferre, & quò ſit in promptu adoleſcenti erudiendo forma demonſtratiuæ methodi, & intelligat in omnibus dialecticorū voluminibus aliud nihil agi, quàm locos inuentionis, aut iudicij.

AN SIT. QVID SIT.

Vtraque quæſtio proprie à dialecticis petẽda eſt: ego meo functurus officio, admonebo tantum qui ſit earum apud dialecticũ vſus. Suas enim hoc hominum genus opes ignorat. Pluribus modis rem eandem diſcimus, finitione verò, modo omnium rerum certiſſimo, quam præit cõfuſanea quædam notio rei, an ſit: quæ quum rarius in artem cadat, & niſi per quæſtionem quid ſit, abſolui non poſſit, à me quoque relinquetur. Quanquam video etiam à philoſophis nonnunquam tractatam, vt in moralibus Ariſtoteles ſtatim initio beatitudinem eſſe conſtituit. Sic enim ferè diſſerit, Eſt aliquis humanæ naturæ proprius finis, & ſumma quædam & extrema forma ſeu actus, eſt igitur felicitas. Plato item ſic in Theæteto ſcientiã eſſe, principio diſputationis ſuæ docet: vt reliqua interim taceam: ſed ea quidem argumentis non admodum perſpicuis. Niſi fortè bella eſt argumentatio: Sunt hominum inter ſe mutui contractus, eſt ſocietas æqua ciuium, eſt igitur iuſtitia. Quæ argumenta vt ad quæſtionem an ſit pertineant, tamen aut non ſatis indicant propoſitum, aut ex poſterioribus ducũt. Noſtrum inſtitutum eſt, ex fontibus, atque, vt aiunt, ἀπὸ γϱάμμης quod docetur, deriuare. Et vt primum de ſimplici themate dicam. Quæſtio quid eſt, finitionem ſuppeditat, quæ id quod proponitur, notiore aliqua eius parte declarat, quæ cum communior re ſubiecta ſit, adſciſcit ſibi notionem minus vagam, quæ forma ſit rei ſubiectæ. Vt cum accepi hominem eſſe M. Tullium, hominis autem ratio latius patet, quàm vt per eã Marcum certus agnoſcam, formam illius concipio, cor-

poris lineamenta, habitum faciei, & ſimilia, quibus ab alijs hominibus diſcrepat, atque hoc quidē exempli vice dico. Iam communes rerum notiones, certo quodam ordine comprehendere oportet, vt quicquid propoſitum fuerit, definias, quum in quem ordinem referendum ſit, intellexeris. Hi rerum ordines κατηγορίαι Græcis vocantur, vulgus noſtrum prędicamēta nuncupat, ſubſtantiā, quantitatē, qualitatē, ad aliquid, agere, pati, vbi, habitū: ſiue vt ab alijs numerantur, eſſentiam, motū, ſtatum, alterū, idem. Prior enumeratio, vulgarior eſt, nempe Ariſtotelica: poſterior, non paulò eruditior. Sed non refert quibus vtaris nominibus, modo ſcias capita rerum eſſe, & modos internoſcendi ſingula. Sunt ex Arabū ſcholis, qui prædicamenta, recte cognoſcendi modos appellant. Hic igitur eſt vſus prædicamentorum, vt propoſiti thematis (de ſimplici iam loquor) definitionem perueſtigaturus, ad hæc rerum generalia capita confugias, & hinc notionem thematis exquiras. Subſtantiæ notus eſt intellectus, quæ per ſe exiſtit. Quātitas in magno & multo eſt, longis, latis, & profundis numeris. Qualitas eſt in formis ἐνεργητικοῖς. Ad aliquid ipſa inter ſe rerum comparatio: In his, & vbi, & quādo, & agere, & pati ſunt. Singula genera quàm late pateant, dialectici docēt, modo intelligas eum eſſe τῶν κατηγορίων vſum, vt quicquid inciderit tractandū artificioſe: primum requiras hos rerum ordines, vnde finitio thematis colligenda eſt. Alexander Aphrodiſienſis è peripato nobilis philoſophus, decem voces elemēta καὶ πρῶτα philoſophiæ nominat, nimirum ob id quòd in oratione docentis methodica primas ſibi definitio vendicet, quæ niſi ex prædicamentis nulla cōſtitui poteſt. Quod vt planius ac rudius agam, exem

Prędicamēta.

Prędicamētorū vſus.

plis tractabo: vt ſi propoſitum fuerit, vt de iuſtitia dicas, primùm ipſa iuſtitiæ ſimplex ratio perquirenda eſt, ſtatim ad ordines rerum accedes, dubitabiſq́ʒ, ſubſtantiane ſit. Ibi cum forte in rem quampiam iuſtitia cadat, & ſaluo ſubiecto pereat, cum ſubſtantiæ ratione conuenire non poteſt. Neqʒ verò magna eſt, nec multa, vt ſenſui expoſita capiatur: quantitas igitur nō eſt. In qualitate virtutem inuenies, vnde ratio iuſtitiæ petitur. Sunt enim qualitates, quædam affectiones mentium noſtrarum, vbi affectio qua redditur cuiqʒ quod debetur, iuſtitiā finies, de reliqua deinceps: Nam ſimplicem cuiuſqʒ rei notionem, comparationes quædam ſequuntur, vnde axiomata, hypotheſes, ſyllogiſmi ſequuntur: nam his, omnis oratio abſoluitur. Habes igitur ex quibus definitio trahatur, nempe ex categorijs, quæ quomodo per diuiſionem, quomodo item ex accidentibus ducenda ſit, ex Boëtio licet diſcere: qui paucis volet ſummā rei, ex Analyticis poſterioribus petat. Mihi ſic videtur in diſcendis prædicamentis exercenda iuuentus, vt in ſingulis generibus, ſuos ordines generum, differentiarum, ſpecierum, in numerato habeat: & relinquendas interim nugas, καὶ τὴν καρικὴν μοῦσην de actu ſignato, exercito, & ſimilib⁹. Diligenter itē ſunt admonēdi pueri, quorſum hæc res pertineat, exemplis erudiēdi: afferendæ ex oratoribus, poëtis, theologis definitiones, de quibus iudicent, maxime locorum communium: ita ciuili iudicio, & rerum communium ſenſu imbuentur. Iam & multis definitur modis: quædam finitiones naturam rei, quædam affectiones quaſdam peculiares declarant, vt apud Platonem: Mors, eſt animæ à corpore diſceſſio. apud poëtam: Mors vltima linea rerum. Hic ſanè dialecticorum vſus probari doctis, &

Carica muſa.

Definitur aliqd multis modis.

erudiri iuuenta felicius poſſet. Iam in vniuerſo definiendi artificio hoc ſpectandum eſt, vt notiora quædam ſint in definitione, quàm ſit res ſubiecta, alioqui declarare quod definitur, non ſolet. Ideo in quem incideris ordinem definiturus, à capite ipſo ſummo in ſubiectas ſpecies, ac differentias deſcende. Vt cum concipio iuſtitiam qualitatem eſſe. Qualitatis autem duplex ratio eſt, aut enim corporis qualitas eſt, aut ſpiritus. Iuſtitia non eſt corporis qualitas, erit igitur ſpiritus. Et earum quæ in ſpiritu ſunt, aliæ dicuntur intellectiuæ, aliæ appetitiuæ. Cur intellectiuæ qualitatis ſpecies iuſtitia non ſit, nota eſt ratio. Iuſtum enim dicimus, non quod intelligat, ſed quod velit agátque iuſta. eſt igitur appetitiua. Sic in categorijs perpetuus eſt rerū ordo, & continuo ex alijs aliæ ducuntur.

QVIBVS CAVSIS PARTIBVSVE CONSTET.

Secūdus locus explicatio cauſarū

Initione ſæpe cauſæ rei partéſque exponuntur, quam ob rem mihi proximus locus, propter quid eſt, ſic enim & in ſimplicis rei notione cauſarum quæſtionem voco: quæ ſi quicquam aliud, pulcherrime naturā aperit eius de quo dicitur. Nec enim res vlla ſciri poteſt, niſi ex cauſis diſcatur: & iſta quæſtio penetrat initia cuiuſque thematis, planéque ipſius definitionis expoſitio quædam eſt. Materia & forma in definitiones ferè cadunt, vt ſi dicas hominem eſſe conſtitutum ex corpore & anima capace rationis: corpus ex capite, ventre, pedibus. Atque illæ quidem partes ſunt proxime finitionem explicādæ. Cum de cauſa quæritur, maxime de effectiua ambigitur, non quæ pars ſit rei, ſed

â qua egreditur, vt domus ſit ab architectone. Vt ſi de iuſtitia dubites,quis eam in hominis animo effi ciat,Sic Plato in Menone doctiſſime quidem virtutis authorem quærit, eámque ſolam nomine dignatur, quam vis cœleſtis numinis infuderit. Sic de efficiẽti-bus cauſis non raro anxie diſceptatur, cum vnius effecti multæ ſunt,cui primæ debeantur, vt cum ſo-bolem procreãt mas & fœmina. Finis quæſtio ad ef-fecta pertinet ſeu officia, nam cuiuſq; proprius finis, propria functio eſt.

VNVM, AN MVLTA.

EX finitione facile eſt cernere, ſit'ne multi-plex, & cum pluribus cõmune quod pro-ponitur. Tertius igitur locus eſt diuiſio, quæ cum varia ſit,nec eadem ratione omnia diuidã-tur, aperiam de qua potiſſimum noſtra tradantur. Aut enim nomen late patet, res ipſæ variant: vt qui amorem diuidet,vt Plato in ſurdam naturæ propen ſionem,in ſenſuum libidinem,in ἐνθουσιασμὸν deifi cium, quomodo & Plato in ſympoſio diuiſit. In pri-mo genere amor eſt terræ,vt feratur deorſum: aëris, vt aſcendat. Sic intercedit Soli & Heliotropio amor, Magneti & ferro.Secundi generis nota ſunt exempla ex fabulis.In tertio genere eſt conſenſus ſuperni nu-minis cũ anima furẽte.Ita in ſingulis generibus alius eſt amor, noménque vnum pluribus rebus patet. Hæc diuidendi ratio minus crebra eſt,tamẽ cum in-ciderit,prudenter tractandã cenſeo,ſic vt ſuis ſemper partibus integra conſtet.Nõ conueniũt enim re ipſa partes,ſed nomine.Artificiũ huius diuiſionis dialecti ca in homonymis tractat.Eſt itẽ diuidẽdi modus, cũ in partes ſecamus quod proponitur:partitionẽ Lati-

Tertius lo cus diuiſio

Primus lo cus diuidẽ di.

Secundus diuidendi modus.

ni rethores nuncupant,vt ſi corpus in caput, pedes manus,ventrem partiaris. Sed de diuiſione huiuſmodi iam cum de partibus ageremus, ſatis: ſunt enim partes thematis vel finitione ipſa, vel proxime finitionem explicandæ. Tertia diuidendi ratio eſt, & ea potiſſimum noſtri inſtituti,quæ proprie diuiſio dicitur,quum in formas ſeu ſpecies res diuiditur, quas Græci cum εἴδη, tum, ἰδέας vocant. Hæ rectiſſime colliguntur,cum definitionis membra conceperimus late vagari: vt,iuſtitia,eſt qua cuique quod ſuum eſt redditur,hoc eſt,qua ciuis cum ciue honeſte communicat. Communicamus aut fortunis,& ijs rebus quæ commutantur, aut ciuili conſuetudine: prior ſpecies commutatiuam iuſtitiam, poſterior diſtributiuam conſtituit. ſic ex iuſtitia duæ naſcuntur ſpecies, commutatiua & diſtributiua,& ex ijs rurſum aliæ. Nam ciuili cõſuetudine communicamus vel priuatim, vel publice. Publica, diſtributiua, magiſtratuum aduerſus ciues,ciuium erga magiſtrat⁹ vinculum. Priuata, ciuis cum ciue conſenſus,vt vim non inferre,& ſimilia. Vides hoc genere diuidendi,quod ſe mare dicenti aperiat? Sic erant iuuenibus noſtris exercenda ingenia, ſic copia bonarum rerum tractanda, & quærenda ſupellex diuitis eloquentiæ. Iam quoq; oportebit ſpecies definias: nam ſemper in omnium rerum cognitione primas ſibi iure ſuo vendicat definitio. Hæc qui volet, pluribus exerceat exemplis, ſtudijs ſuis vberem facturus fructum. Vt,Ius forma eſt adminiſtrandæ ciuitatis. Regitur ciuitas & legibus, & moribus,& legum benigna ac ciuili interpretatione. Naſcuntur ergo iuris ſpecies, lex, mos, & æquitas ſeu epieicia:iam quid lex,quid mos,quid æquitas, prudenter definies. Interim in his explicandis

Tertia diuidẽdi ratio.

nolo te eneruem adeò eſſe, vt non euagandum tibi li bere cenſeam, virtutibus elocutionis, exemplis: nam hoc maxime connitendum eſt, vt perſpicuam reddas orationem: ſordidã illam & in articulis artificij anxie pendentem, non ſatis probo. Quin audendum eſt iuueni, & experiendum ingenium, quanta maxima licet vbertate, iuxta Fabij conſilium.

OFFICIA.

VEl maxime conſyderandum eſt in quoqꝫ, quid valeat, quid proprium efficiat. Nam hi fines rerum ſunt. Neque enim quicquam in vniuerſa natura conditum eſt, cui non ſit inſita vis propagandi ſui latius: Atque id eſt profecto cum primis in naturalium ſtudio mirandum, ſuos cuique motus, ſua cuique officia diſpẽſata eſſe. Aqua, terra, animantia nutriunt: fouent aër, ignis: temperãt ſyderum defluuia: cœli motus, noctem die, diem nocte mutat, vt ſuauiſſime Homerus poëta de Horis ait: ἀυτόμαται δὲ πύλαι μύκομ ὀυρανοῦ ἃς ἔχομ ὧραι τῇς ἐπιτέτραπται μέγας ὀυρανὸς ὄυλυμπός τε. Adeò nihil eſt, cui non ſint ſuæ in ordine rerum vices, quod non vehementer ab ocio abhorreat. Facile autem cuiuſque declarabit natura, quæ ex definitione patet, quid poſſit. Iuſtitiæ eſt, ſuum cuique tribuere: cõmutatiuæ, ne quem defraudemus in contrahendo: diſtributiuæ, vt ciuis obnoxius ſit patriæ, magiſtratui, magiſtratus ſeruandis ciuibus ſtudeat viciſſim. Iuris eſt, gubernare ciuitatẽ: legum, iuſta mandare: morum, ne abhorreant à communi hominum ſenſu, ne turpes, ne alieni à natura ſint: æquitatis, vt temperet pro modo ac tempore legum rigorem. Officia in primis copioſam red-

dunt orationem:attigit ea Ariſtoteles,quum doceret de ſubiecto demonſtrandam paſſionem. Nam ſubiectum poſtquam exactum eſt ad quæſtiones,an ſit, quid ſit,quæ partes ſeu ſpecies: commodum ex definitione deducit propriam affectionem. cuius ipſe quæſtionem,quia eſt,fecit:& definitionis comparatæ cum paſſione, propter quid, quæſtionem tradidit. Ego quidem hactenus, quid ſint, partes, cauſas,ſpecies, ſimpliciter conſiderari volo: nec dum in axiomata, in ſyllogiſmos cogo. Poſteaquam abſoluta fuerit notio ſimplex, alia cum alijs comparantur, affirmatione,aut negatione,quæ eſt ſyllogiſmorum officina.

COMPARATIO SPECIERVM.

Quintus locus vnius cũ alio comparatio.

In comparatione duo inſunt idẽ, & diuerſũ.

NAſci mihi videtur ex officijs rerum comparatio, in qua vidẽdum eſt, & quid conueniant,& quid diſcrepent.Igitur in comparatione,loci duo ſunt, idem ac diuerſum. Maxime conueniunt,quorum definitiones conueniunt: Deinde,quæ parte aliqua definitionum conueniunt. Ad extremum,quæ vtcunq; officijs congruunt,vt genere inter ſpecies conuenit, differentijs ſpecies diſſident, Atque hoc caput eſt complexorum, hinc loci argumentorum naſcuntur. Vtili cõuenit cum honeſto in affectione boni,ſcilicet in appetendo. igitur & bono conueniunt.Sic enim argumentari licet:appetendũ bonum eſt,vtile verò appetẽdum, eſt igitur bonum. Sic rurſus: Appetendum bonum eſt, honeſtum verò appetendum,eſt igitur bonum. Prima, vt dixi,comparatio eſt ex eodem & diuerſo, ceu duobus ſummis comparandi locis. Genere res cõueniunt, differentijs

diſſident. Iam petuntur extrinſecus etiam comparationes rerum ex cauſis. Honeſtum, natura bonum eſt: voluntate, id quod vtile vocant. Aliæ cauſæ ſunt, natura, volũtas: alij igitur ſunt effectus. Propter ſeſe appetitur honeſtum, vtile propter aliud. Fines igitur vtilis ac honeſti alij ſunt. cõſequens eſt, vtile aliud ab honeſto eſſe. Bruti anima rationis eſt expers, humanáq; capax: alia igitur bruti, alia hominis anima eſt. Ex his qui volet, totam Ariſtotelis τῶν τοπικῶν doctrinam venetur: nam ex comparatione ſpecierum vniuerſa oritur.

Comparatio duplex eſt: alia ab intrinſecis, alia ab extrinſecis petita. Ita loci argumẽtorum duplices ſunt, alij intranei, alij extranei inſtituto themati. Sunt igitur topica inueniendi argumenti ſedes. Cõparatio duplex. Loci argumentorum duplices.

Poſtulat locus, vt inuento argumento, diſpoſitionem eius ſeu ductum, quem dialectici conſequentiam nuncupant, oſtendam. Inuenta enim res in ſyllogiſmos includenda eſt: ſed de hoc libro ſecũdo multa ſatis dicã: modo hic ſtudioſus lector obſeruet dialecticæ filum. Definitio primas tenet, hanc diuiſio ſequitur: ſpecierum comparatio in tertio ordine conſiſtit. Definiendi ac diuidẽdi artem categoriæ docent: comparationem ſpecierum topica. Ex his quomodo propoſitiones & ſyllogiſmi fiant, non ad inuentionẽ, ſed diſpoſitionem pertinet: quæſtiones autem quas tractaui, inuentionis loci ſunt. Cõſequẽt[ia] Tria dialecticus fac[it]

AFFINIA CONTRARIA.

FAcile licet ex comparatione ſpecierum affinia & contraria percipi. Et ipſa quoq; ad topicorum diſciplinam pertinent, ac ad

copiam orationis exercendam plurimũ valent. Non enim ſolum ipſæ inter ſe ſpecies comparantur, ſed eis multa vel à ſummo aliquo genere, vel à communi officio, ſeu affectione καὶ διαθέσει ſunt affinia. Vt iuſtitia diſtributiua publica eſt, qua obnoxij patriæ ciues ſunt. eadem, pietas eſt. Vitam pro republica pendere, fortitudini dant, atque idem iuſtitiæ diſtributiuę publicæ. Eſt igitur affinis fortitudo iuſtitiæ. Egenti ciui opitulari, liberale dicunt, atq; idem iuſtum eſt: liberalitas igitur affinis iuſtitiæ eſt. In quem modum & Cicero cum iuſtitia liberalitatem coniunxit in libro de officijs.

Contraria. Ex his & contraria patent. Quibus cum, iuſtitia conuenit, aduerſatur iniuſtitia: quibus cum, fortitudo conuenit, aduerſatur metus, temeritas: ſic de alijs. Hæc quia ad copiam pertinent, & niſi viribus elocutionis recte nequeunt tractari: ex Eraſmo de copia rerum, optimo ſanè authore, diſcas. Ego mihi videor meo functus officio, qui adnotaui in dialecticis, quæ ſit ſequenda methodus, & ad inueniẽdum quomodo pertineat.

EXEMPLVM.

I Quid iuſtitia? virtus qua cuique ſuum penditur.

II Quæ eius cauſa? voluntas conſentiens cum legibus moribúſque.

III Quæ ſpecies? commutatiua & diſtributiua. Dupliciter enim cum ciuibus communicamus, aut fortunis commutandis, aut humana ciuilíque conſuetudine.

IIII Commutatiua quid? iuſtitia contractuum.

V Diſtributiua quid? iuſtitia ciuilis vitæ.

VI Diſtributiua quottuplex? publica alia, alia pri-

uata.Publica,pietas eſt, imò eſt omnium virtutũ co- rona quædam, ciuilem hominum inter ſe conſuetu- dinem,magiſtratuum cũ ciuibus,viciſſim ciuium cũ magiſtratibus conſeruans. Priuata, ciuium inter ho- neſta & tranquilla conſuetudo.

Officia,reddere ciui,magiſtratui,patriæ,liberis,con VII iugibus,amicis,quod debetur.

Comparatio ſpecierum. Commutatiuam diſtribu VIII tiua complectitur. Indicio ſunt, quæ ab eodem argu- mẽta trahũtur. Finis diſtributiuæ potior eſt,ipſa igi- tur quàm commutatiua melior. Locus à cauſis indi- cio eſt.

Affinia,fortitudo,liberalitas,temperantia. IX

Contraria,metus,auaritia,luxus &c. X

Hæc eſt,ni fallor,in methodo dialectica, tota inue- niendi ratio, quam qui volet diligenter exercere, Ci- ceronis librum de Officijs in manus accipiat,qui hoc ordine ſcriptus eſt,nẽpe διδακτικῶ, id quod ipſe te- ſtatur, cum ait ſe orationis genus ſequi, aptum ſcho- lis:quo genere ſcriptũ eſt, quicquid in vniuerſa phi- loſophia literis mandatũ legitur. Ad hæc, methodus quam paucis adumbraui,fons quidam eſt, vnde reli- qua dicendi genera deriuantur: Eam ob cauſam ve- lim ſtudioſæ iuuentuti diligentiſſime commendatã. Plurimum enim in docẽdo valet: & qui huius ratio- nes ignorat, ipſe recte diſcere nequit, nedũ nõ recte docere. Iam hoc quoqꝫ prudẽter cauendum eſt,ne ſic enerues orationem,vt putes tum demum artificij ha bitam rationẽ,cum deſit elocutionis cultus, id quod video perſuaſum dialecticis quibuſdã. Semper enim ad optima & pulcherrima enitendum eſt, & in hoc exercẽda ingenia, vt efferat ſe ſtatim fœcũditas,quæ

prima futuri profectus ſpes eſt, perinde atque plena infantium corpora, maturi roboris: vt interim taceã qui ad huiuſmodi ieiunam ac macilentam orationẽ aſſueuerunt, omnia deinde aſperè, ac planè barbare, etiam ſi quid poſſint, ſolere. Omnino autem tractandæ methodi habes exempla longe optima, Marci Ciceronis officia, & Platonis ferè omnia. Fuerítque admodum vtile, adoleſcẽtem à primis ſtatim præludijs magnorum ſtudiorum locos communes hoc artificio tractare, videlicet, quo naturam, vímque illorum integram, ac penitam introſpiciat: vt quomodo ſit vſui, deinde in cauſis communibus, quiſque recte intelligat. Loci cõmunes, virtutes, vitia, fortuna, vita, mors, opes, ingenium, iuuentus, ſenectus, denique omnia quæ generaliter in communes cauſas incidunt. Hos, vt ſupra cõmonui, oportebit adoleſcentem profecturum in promptu notatos habere.

DE ENARRATORIO GENERE.

Enarratio.

QVAM LATINI dicunt enarrationem, Græci ἐξήγησιν, fortaſſe licebit ſubijcere generi demonſtratiuo. habet enim cũ eo pleraq; cõmunia. Cæterum ipſa vnius non eſt generis, imò in omnia promiſcue cadit. Etenim cum ſit orationis expoſitio, eius orationis argumentum ac genus ſequitur quam enarrat, tamen & ſuũ quoddã habet artificium. Duplex eſt, Aut eandem refert ſententiãm, verbis paulum pluribus & lucidius redditã.

Paraphraſis.

Paraphraſin vocant: In qua hoc vnum ſpectatur, vt quàm proprijſſime ac puriſſime ſentẽtiam authoris reddas, interim expolitione aliqua, item confirmatione ſubiecta. Habes exempla, Eraſmicam in Pauli epi-

ſtolam paraphraſin. habes item Græcorum aliquot Themiſtij in Ariſtotelē. Id genus exercitationis pulcherrime confert adoleſcentibus, vt authores in quibus verſantur, per paraphraſin expoſitos recte aſſequantur. Nam quæ legentem, audientémve fefellerant, exponentem fallere non poſſunt. Licebit in hoc genere, ſimilibus, exēplis, collationibus, imagine, ſententijs, circunſtantijs, & pleriſque amplificandi figuris vti, ſed parce, ne ſit ἀφαμαρτοεπὴς oratio, néve nimium ab inſtituto euagetur. In hunc modum, cum ſacram illam ad Titum epiſtolam prælegiſſem, hortabar ſcholam, vt ſi qui ſtudioſi eſſent, hoc genere exponendi ſe exercerent: eam epiſtolam in id genus cum primis aptam eſſe, quòd & locos cōmunes multos contineret: & quæ breuiſſime complexus eſt Paulus, poſſent ſubiectis rationibus, argumentis, confirmationibus, exemplis, & ſimilibus enarrare. Vt ſi inde incipias: oportere epiſcopum non præfractū eſſe. Non otioſum eſt, cur hoc primo loco admoneat: deinde quàm ſit peſtilens vitium adminiſtrātibus rempublicam peruicacia, vel exemplis declaretur, iiſque contrarijs: vt ſi quis cōponat malos pontifices cū bonis: vel ratione, vt ſi quidē principē eſſe nihil eſt aliud, quàm publicis ſeruire cōmodis, nihil alienius eſſe debet à principe, quàm ſuo ſibi faſtu imperium gerere, ſuā libidinē rectis, ac ſanis cōſilijs anteferre: Atq; omnino ſint expoſitiones eiuſmodi, quę naturā verborū vímque orationis nō adulteratā, ſed verè ac propriè referant. nec ſanè quicquā prius ducat paraphraſtes, proprietate. Diſpeream, ſi quid in ſtudijs videatur mihi ad erudienda iudicia, vſui paraphraſeon anteferendum. Vt interim taceam, inde mirabilem verborum copiam naſci, & quaſi lumen quoddā orationis: nam

nihil æque poſtulat paraphraſis, vt perſpicuitatem.

DE COMMENTANDI RATIONE.

ALia eſt exegeſeos ratio, eáque vulgatior, cũ integris commentarijs authores explicamus. Græce genus hoc, ὑπομνηματικὸν dixerunt: Quod cum varium ſit, paulò plura de eo dicenda ſunt.

Orationis diuiſio.

Omnis oratio eſt, aut ad docendum compoſita, aut hiſtorica, aut ſuaſoria, aut allegorica.

Oratio ad docendum compoſita.

Ea quæ ad docendũ compoſita eſt, puta cũ eſt methodo philoſophica exacte conſcripta, omnino appẽdenda eſt ad eam ſimplicium thematum methodon, quam præſcripſi. Sic & operis argumentum retextũ lectori aperitur: & quod vniuerſum ſemel comprehẽdi difficile erat, carptim licet citra periculum aſſequi. Quo genere cum pleraque philoſophorum ſcripta ſint, pauciſſimi tamẽ ſunt interpretum, qui exigant authores ad eum modum, hoc eſt, qui ſcopos authorum recte peruideant. Frigidiores ſunt Ariſtotelis cõmentarij, quàm vt deceat eorum meminiſſe. Etenim non ſolum non referunt vlla ex parte Ariſtotelẽ, ſed omnino etiam friuola & inutilia docent. niſi quis tã mire φίλαυτος, aut tã ſtupidus eſt, vt hoc mare quæſtionum feliciter deriuari in alia ſtudia putet: & ex tã obſcuris opinionum tenebris aliquid veri, aliquid lucis expectet. Supra commonui, M. Ciceronis diſputationem de officijs, methodicam eſſe. Quam qui velit illuſtratam commentario, ad quæſtiones methodi animum adijciat. Primùm doceat quid ſit officium, hoc enim primo loco à Cicerone dicitur. Deinde quottuplex: diuiſum eſt enim in officia, quæ ab iuſtitia, fortitudine, temperantia, & prudentia profici-

ſcuntur. Commentarij vices erunt, explicare cur tot modis officiū pateat. Modos officij perſpicuis notionibus definiet, ac ijs orationis ornamētis augebit, quę confirmare & illuſtrare poſſunt authoris ſententiam. Eſt & grammatici, vim verborum diligenter explicare. ſi quæ item hiſtoriæ, ſi quæ ſententiæ inciderint, oſtēdere quid poſſint, quàm appoſitè ab authoribus referantur. Hæc ideò ſcribo, vt quo iudicio tractandę ſint literæ, ſtudioſos admoneam. Nam qui eo eſt vel vſu vel ingenio, vt in authoribus videre poſſit, quur hoc loco, quur ſic ſingula tractentur, illum ego vehementer probandum cenſeo. Sed ante omnia in oratione ad docendum compoſita, ſint tibi ſemper in manibus quæſtiones demonſtratiuæ, quas ſupra tradidi, an ſit, quid ſit, quas habeat ſpecies, officia, quomodo inter ſe ſpecies comparentur. Vt M. Cicero de iuſtitia, primùm eius definit officia. Deinde per contrarium, ſcilicet per iniuſtitiam clarius exponit. Tum ſpecies addit liberalitatem, amicitiā. vbi fuerit operoſum docere, cur cum iuſtitia liberalitatem coniunxerit. Sed de his ſatis.

HIſtoriam qui enarraturus eſt, prudentiſſime videtur id facturus amplificationibus, ita vt circūſtātiarum ac locorum communium ratio diligens habeatur. Eſt enim talis enarratio prorſus coniūcta cum genere demonſtratiuo laudum, de quo infra dicemus. Duo igitur ſunt ad hiſtoricam enarrationem neceſſaria, circunſtantiæ, & loci communes. Accedunt ad hæc augendi variandíque figuræ, quæ ex elocutionis artificio petuntur. Quam rationem exponendæ hiſtoriæ video in ſacris potiſſimum obſeruandam. Vt Paulus in epiſtola ad Hebræos pleraſque hiſtorias ad fidem ceu locum cō- Hiſtoria.

munem exigit, pulcherrime interim aliquas circunſtantijs illuſtrans. Fortaſſe præſtiterit ſacra ſic enarrare, vt ſua dignitas hiſtoriæ conſtet, quæ in vniuerſum ſcripta eſt, vt vera doceat, recte erudiat bonam mentem. Pleraq; immodicis vehuntur laudibus, idq; præter decôrum, adeò, vt crimina etiam quorundam, in laudibus numerentur. Quæſo quid refert, quorundã flagitia vtcunque confictis allegorijs excuſare, cum in hoc ſcripta ſint, vt noſtræ ſortis admoneamur? mendacium ac vanitatem hominem eſſe, veritatem deũ? Non ignobilis eſt Abraham hiſtoria, quem euocauit deus, vt mactaret filium, eúmque vnicum, deinde τηλύγετον, & de quo ſpem conceperat, eũ fore, ex quo generis humani inſtaurator in terras venturus eſſet. Quæ hiſtoria nimirum indicat oportere hominẽ, qui deum ſecuturus eſt, ab omni carnis affectu liberum eſſe: vniuerſum ius carnis abdicandum ei, qui ſui copiam deo velit factam. Nam dubio procul, ſi quis affectus euincere animũ ſenis potuit, hic ille certe gnati amor plurimum valebat. Locus communis, carnis interitus, affectuum carnis purgatio. In hunc ſolebãt veteres modum ſanctas hiſtorias tractare, ſpiritu magiſtro: hodie allegorijs longius à fontibus ducuntur, quàm vt natiuam vim retineant. Verè eſt efficax, viuitque & ardet verbum domini, cum maieſtate ſua bonis puriſque mentibus illabitur: ſed noſtris argutijs dilutum, neſcio quantum viriũ habeat. Certe pro libidine noſtra vniuerſa transformare, vereor ne non ſit ſatis pium. Eſt & ſua allegoriarum ratio, de qua infra dicemus in allegoricis: quam ſic aggrediamur, ne putemus licere temere omnia. Dolebat mihi ex animo, videre tam friuola ſuperioris ſeculi ſomnia, vt mirer fuiſſe vnquam, quibus hæ tam audaces nugæ

placuerint. In enarrandis hiſtorijs, mihi, quos equi‑dem viderim, inter paucos Chryſoſtomus placet. In allegorijs & illis quidem probandis regnat Origenes, ex noſtris Taulerius: quanquã ſunt, vt audio, impro‑bi quidã ſophiſtæ, quibus illius verè Chriſtiana eru‑ditio contemnitur.

Suaſoria oratio.

s Vaſoriæ orationis enarratione, exhortatio‑nes, obiurgationes, querimonias, & quic‑quid his vtcunq; cognatũ eſt, comprehen‑do. Perinde verò vt methodicam enarrationẽ in gene‑re demõſtratiuo, ad quæſtiones methodicas argumẽ‑ti exigim⁹: ſic oportet in ſuaſorijs, generis delibera‑tiui figuras ſequi. Et in his potiſſimũ ſpectabitur, ac primo loco ſtatus cauſæ: deinde quæ ille poſcat argu‑menta: demũ quos admittat affectus. Hęc tria qui cõ‑pendio in ſuaſorijs notauerit, facile aſſequetur autho‑rem. Eſt autẽ ſingularis acrimonię videre ſtatũ cauſę, alioqui tã neceſſariũ, vt niſi illũ attigeris, impoſſibile ſit argumẽto ſatisfacere. Ad hæc accedit, quod enar‑ranti pleraq; ſunt genere demõſtratiuo ſeu dialectico tractãda, quorũ nos author, quẽ ſequimur, obiter ad‑monet. Vt in Pauli epiſt. ad Roma. cũ hic ſtatus ſit, le‑gem nõ iuſtificare, gratiã iuſtificare: literã occidere, ſpi‑ritum iuſtificare: ſuo fungetur munere ὁ ἐξηγητὴς, ſi quid litera, quid ſpiritus ſit, pro docentis artificio tra‑ctet. Accedit argumentũ, neminem eſſe, qui nõ pec‑cato ſit obnoxius. Hæc paſſim affectibus & pulcher‑rimis rhetorum figuris ornantur. Ad ſuaſoriũ genus pleriq; pſalmorũ pertinent, in quibus nõ mediocri di‑ligentia ſtatus, ſeu ſumma argumẽti, quidve ad ſum‑mũ ſtatuatur, & quorſum pertineat, quod ſic his ver‑bis, hoc ordine dicitur, contuendum eſt. Summus ac optimus huius artificij magiſter Eraſmus habetur.

Hac parte incredibile eſt, quàm ſe multi falſos habuerint in ſacris enarrandis. Pertinet hoc genus ad iuriſconſultos, etiam in fingenda factorum ſpecie, ne quid ſit ἄχορδον. Exercebit iuuētus ſuaſorias, quantū video in Liuianis orationibus commodiſſime, è quibus maxime illuſtres fuerit operæprecium in promptu, meditatáſque tenere.

Allegoria multiplex.

Allegorica enarratio vagatur omniū latiſſime, nam in hiſtorias, fabulas, apologos, chrias, ænos, ſententias, dicteria, ænigmata cadit. Atque vt de fabulis primùm dicam. Fabulę omnes pertinent, aut ad mores, aut ſcientiam naturæ, aut ad hiſtoriam. Ad mores, qualis eſt illa apud Platonē de cicadis in Phædro, quam cum ſuauis admodum ſit, ſubijciam.

Fabulæ ad tria ſpectāt

Ad mores.

Λέγεται δ' ὥς ποτ' ἦσαν οὗτοι ἄνθρωποι τῶν πρὶν μοῦσας γεγονέναι· γενομένων δὲ μουσῶν καὶ φανείσης ᾠδῆς, οὕτως ἄρα τινὲς τῶν τότε ἐξεπλάγησαν ὑφ' ἡδονῆς, ὥστε ᾄδοντες ἠμέλησαν σίτων τε καὶ ποτῶν καὶ ἔλαθον τελευτήσαντες αὑτούς, ἐξ ὧν τὸ τεττίγων γένος μετ' ἐκεῖνο φύεται, γέρας τοῦτο παρὰ μουσῶν λαβὸν, μηδὲν τροφῆς δεῖσθαι γενόμενον, ἀλλ' ἄσιτόν τε καὶ ἄποτον εὐθὺς ᾄδειν ἕως ἂν τελευτήσῃ, id eſt, Fertur quondam & hoc genus homines ante Muſas natas fuiſſe: natis autē Muſis, & mōſtrato mortalibus cantu, quoſdam voluptate eius adeò captos eſſe, vt canendi ſtudio, communis vitæ, cibi, potúſque obliuiſcerentur, atq; ita perirent. Ex quibus cicadarum genus poſtea exortum eſt, hoc à Muſis accepto munere, vt vitam citra victum canendo tranſigeret. Quæ fabula detorqueri poteſt ad ſtudia, in quibus plurimum eſt voluptatis & gratiæ,

vtilitatis parũ. Veluti ſi quis perpetuo linguam excolat, mentis rationẽ non habeat, is nihilo plus agat, quàm cicada, aurium oblectamentum. Erat enim ſatius animum excolere, ac in communes vitæ humanæ vſus aliquid bonarum rerum conferre. Pallada item aiunt & quondam fiſtulis vſam, deinde abieciſſe, quum Satyris præda factæ ſunt. Videlicet ſapientia quondam cum re muſica coniuncta erat, poſtea muſicam improbi quidam homines arripuerũt, atq; ita poetica & philoſophia diuulſæ ſunt. Satyri noſtræ ætatis, poetę: Pallas, ſapientia: fiſtulæ, res muſica.

Ad naturam pertinẽt, vt Promethei & Epimethei, & Pandoræ fabula, & ferè quicquid eſt Orphaicorũ. Ad naturã

Ad hiſtoriam, vt Lycaonos fabula. Artificiũ enarrandi fabulas nequaquam vulgare eſt, nec ſtatim ad allegoriæ rationem facit, quod quiſq; nugatus fuerit. Sed earum rerum, quæ in fabula dicuntur, perſpiciẽda eſt natura: quæ ſi cũ eo cõueniat, qui cum cõparatur, apta eſt expoſitio, id quod per omnes fabulæ perſonas obſeruandũ videtur. Sæpe enim perſona eadem varijs exponitur modis, quia cum alijs ſubinde perſonis cõfertur, Vt inter mercatores ſi Mercurium inuenies, mendacem facito: ſi deorũ nuntium leges, orator erit. Iam hoc pręceptum non modo ad vnum genus fabularũ, ſed planè tam ad apologos quàm ad mythos trahatur. In apologis, vt leo regiũ quiddam & tyrãnicum præ ſe fert, lupus prædo eſt, vulpes vafra, garrula hirundo, ciconia pia, luſcinia canora, coruus aſſentator, delphini φιλάνθρωποι. Et in alijs alia inſignia. Sic cognita natura perſonarũ quibus agitur fabula, recte licebit epimythion affingere. Non infrugiferũ eſt cõſilium, fabulam interdũ quampiam locis cõmunibus tractare. Quod cũ per ſe ipſum eſt vtile, Ad hiſtoriã

tum in eo aliena etiã diſcuntur,puta, naturæ virésqꝫ rerum.Idem in ijs fit,quæ ad naturam rerũ pertinẽt. Cur Homerus Neptunũ γαιήοχον nuncupet,nempe,quòd ambiatur mari terra:cur Martẽ ἀλλοπρόσαλλον,cur Iunonẽ λευκώλενον.Quid in fama alæ, quid vaſtum & immane corpus,quæ comites famæ, apud Naſonẽ.quid comę in Alecto vipereæ.Quæ omnia cum enarrantur poetæ,diligenter explicãda ſunt. Quorſum enim attinet adeò frigide legiſſe poemata,vt nõ aliqua ex parte in reliqua ſtudia vulgentur? Et hæc de fabulis.

Allegoria in hiſtorijs.

In hiſtorijs allegoria periculoſior eſt.Sed mihi tamẽ ſic videtur habendam eſſe rationẽ naturæ eius,quod per allegoriã tractatur.Nã omnino ſi diſcrepent eorũ inter ſe naturæ quæ conferuntur, abſurda eſt allegoria.Deinde,vt locorũ cõmunium formis vtamur. Vt qui expoſuerit ſeptem columnas templi ſapientiæ in ſacris libris, de ſeptẽ liberalibus(vt vocant)artibus, aut quod alij ſolent de ſeptem ſacramẽtis, nequaquã ſe probaturus eſt doctis. eo quòd indignũ ſit rẽ ſacrã cum hoc artium puerilium genere cõponi, & iſtum tam anxium ſacramentorum numerum veteres non agnouerũt.Cõtrà qui in Abraham hiſtoria dicat adumbratam homini rectè viuendi rationẽ, atqꝫ illã ex tota eius vita,ordine traduxerit,credo non improbabunt docti. Nam principia itineris ad deum ſunt,vt Abrahami exemplo patria emigremus,cognatis relictis.Patria,eſt terra infecta labe originis.Cognati,carnis affectus ex peccato propagati. Fiducia ſit in dominum tanta quanta illi erat,cũ filium iret immolaturus,ſed filio ſucceſſit aries in vepribus,hoc eſt, CHRISTVS, cũ peruerſis ac malignis Iudæorũ Phariſæis, qui vepres ſunt,acerbe cõflictatus.Ille ſeſe immacu-

latã ac opimam patri pro nobis victimã dedit. Et reliqua ſimiliter. Quàm vellẽ hanc in noſtris ſcholis exercẽdæ iuuẽtutis conſuetudinẽ valere: qua & vitæ ſuppeditarentur exempla: & linguæ, cum rerũ, tum verborũ copia. Alioqui in tropis procliue eſt à ſcopo nõ aberrare, Eam ob cauſam vtile fuerit ſtatim à pueritia allegorias imbibere.

Duo ſunt igitur ſpectanda in allegorijs: hiſtoriarũ natura, & ingenium perſonæ quæ tractatur, & loci communes. Vt Cain hiſtoriam allegorijs enarrãs, peccatorem faciet, Peccatũ maledictio ſecuta eſt. Maledictus à facie domini profugit, vt in Hebræis eſt NOD, id eſt fluctuans. Hic ſæuiẽs peccati conſciẽtia, & perpetuæ criminũ flammæ declarantur. Nec enim comparari cum iuſto poterit Cain. Ex illa verò comparatione Cain cum peccatore, naſcetur locus communis, peccatũ, cuius vis & crudele imperiũ amplificationibus tractandũ eſt. Sic qui Nazaræos volet enarrare: qui fuerint cum accurate perdiſcet, inueniet eos cum Euangelij ſacerdotibus conferendos. atq; vt CHRISTVM, ſic ſacerdotes Nazaræis adumbratos eſſe. Ex Nazaræi officijs, & decôra ſacerdotũ colliguntur, ſed hæc fortaſſe longius. Omnino connitendũ eſt iuuẽtuti vt in notis locorũ cõmunium referat & allegorias. In loco communi eccleſia, torcular: in loco communi præconum verbi dei, tubas Ioſue: in verbo dei, mãna: in patientia, tympaniſtrias virgines: in ſpiritus inuocatione, matutinum, adoleſcentiã: in peccato, veſpertinum: in lege, vinum compunctionis: in gratia, myrrham primã, oleum lætitiæ, montẽ pinguem. In quẽ modum in omni genere literarum hoc efficiemus, vt in quodcunq; inciderimus argumentum, facile ſit iudicare, quæ themati propria, quæ itẽ ſint impropria.

Duo ſpectanda in allegorijs.

Sententiæ. Chriæ. Prouerbia.

Sententiæ,chriæ,prouerbia,ſic enarrentur. Primũ hiſtorica narratione explicata, vnde ſit natũ prouerbium,quid valeat ſentẽtia: deinde cum ſimilibus vel diſſimilibus cõparetur. Pulcherrimũ habes exemplũ Silenos Alcibiadę apud Eraſmũ,qui principio ex Platone, hiſtorica narratione exponuntur: deinde cum alio argumento per locũ diſſimiliũ conferuntur,mundum eſſe præpoſterum Silenum. Sic enarraturus, τὸ πλέον ἥμισυ παντός,dimidium plus toto,narret, cuius ſit authoris prouerbiũ,in quam ſententiam dictum,videlicet in commendationem mediocritatis. Hinc locus mediocre naſcitur. ibi ſe campus dicturo aperiet.Hoc genus exercitationum à veteribus inter prima laudatum eſt.Amat enim neſcio quomodo peculiariter adagiorum vſum vetuſtas Græcorum magis,id quod in Platone potiſſimũ videmus.Habes ad hæc inſtructum velut theatrum,Chiliadas Eraſmicas.

DE DEMONSTRATIVO COMPLEXI THEMATIS, ET DIALECTICIS PROBATIONIBVS.

O BITER INCIDIT, vt de enarratorio genere pauca notarem:alioqui hoc caput, cum ſuperioribus de demonſtratiuo ſimplicis thematis coniuncturus. id enim ipſa rei conditio poſtulabat. Quando verò argumentum velut interpollauimus, repetenda ſunt quædam & explicanda latius,quàm ſupra videtur. Nihil intereſt inter dialecticam & rhetoricam,niſi quod hæc liberius euagatur dicendo,illa intra fines artificij ſui anxia conſiſtit. Quam ob rem valebat plurimum ad rectè perdiſcendum dicendi artificium, cum pura adhuc eſſet,& ſic

tractaretur, vt eam tradiderũt ſcholæ veterum. Nam vt à foro populariq́ iudicio paulũ remotior eſt quàm rhetorica, magiſq́ ad themata ſpectatiua quàm cauſas ciuiles pertinet: ita id quod propoſitum eſt penitius introſpicit, aperit, eruit, ſubinde ex alijs ducens alia. Docet argute, innectit, euoluit, vertit, reuertitq́ omnia. Breuiter Delphicæ machæræ fungitur officio, ſi infelix aliquod ingenium inciderit. Themata verò ſpectatiua Quintilianum ſecutus voco, quæcunque proponuntur abſoluenda ordine quodam & ratione ad docendum accommodata: vt eorum natura, viſq́ tota ſciatur. Talium thematum cauſæ, demõſtratiuæ dicuntur: nam ita genus cauſarum dialecticarum vocant. Ego malim dialecticon nominare.

Sunt autẽ themata demonſtrationum, aut ſimplicia, aut cõpoſita. Atq́ in his tota dialecticæ farrago eſt. Simplicia ſunt, vt iuſtitia, iniuſtitia, beatitudo, prudentia, fortitudo, amicitia. Complexa verò, iuſtitia eſt virtus: beatitudo eſt finis humanæ naturæ: amicitia eſt liberalis coniunctio animorũ: mundus eſt animatus: anima hominis eſt immortalis, & ſimilia. Duplicia themata. Simplicia Cõpoſita.

Simplicium rationẽ ſupra abſolui per quæſtiones definitionis, diuiſionis, officiorum, & reliquas. Nã ea eſt ſimplicis thematis ratio, vt quodcunq́ inciderit, cuius naturam vimq́ ſcrutari volumus, primùm definiatur. Definitionẽ verò ſuppeditãt categoriæ, quas ſic oportet habeamus in numerato, vt in quẽ debeat ordinẽ referri, protinus quod proponitur ſciamus. Vt ſi de anima ſit dicendum, quoniã res per ſe eſt, in numerum cadere accidentium nõ poteſt: erit igitur ſubſtantia. Deinde verò contuendum eſt, ſint'ne plurium partium aut formarũ themata. Formas ſeu partes diuiſio expediet. Vt animæ, cum vnius non ſint

modi, aliæ enim brutorũ ſunt, aliæ creſcentium, aliæ hominis. Formæ animæ erunt, quæ intellectus eſt capax, quæ ſenſuum: quæ alendi, augendi, & gignendi vim habet. Ad hæc ſequuntur officia ſeu affectiones, quas vulgo paſſiones vocant. vt animæ officia, gignere, alere, augere, ſentire, intelligere, cõcupiſcere, odiſſe, metuere, dolere, & id generis alia. Sic in omniũ rerum perueſtigatione, ſimplicia themata ante omnia debent excuti, ex quibus cõponuntur: deinde quę vel pronunciata, vel proloquia, vel axiomata, vel propoſitiones dicunt. Et ego ſanè tanti fecerim ſimplicium methodum, vt ad ſtudia tractanda nihil tam neceſſarium videatur. Nec erudiuntur vtiliter, qui hodie in philoſophia argutias tantũ pauculas aliquot opinionum ſic diſcunt, vt à præceptoribus vtcunq; exceperint, quas in ſcholis iactent: cæterum ſi quæras quid ſit id de quo loquuntur, lapidi verba facias. Quo fit vt nullo deinde iudicio ſublimia ſtudia inuadant: & in eius cõtenti authoritate factionis, nihil vltra conentur: nec tam habeatur ratio veri, quàm vulgaris conſenſus. Atq; ita me deus amet, aliquot milia errorum docemur, è quibus ſi ad ipſa rerũ capita redeamus, facile expediri liceat. Omnino igitur neceſſarium eſt in omni genere ſtudiorum, primùm de ſimplicibus diſſerere. Et cum eorum naturã perſpexerimus, tum demum ſtatuere de vero ac falſo eius quod præſcriptum eſt. Nam ſint'ne ideæ rerum cauſæ, cõſtitui nõ poteſt, niſi quid ſit idea cognoueris. Nec quid ſit idea ſcies, niſi ad methodum, ſeu quæſtionis quid eſt, titulos exigas, id eſt, ad categorias, ſubſtantia'ne ſit an accidens: deinde quibus conſtet cauſis, partibus, &c. Quod quia philoſophi noſtrę ætatis nõ fecerunt, nouas etiã Ideas ipſi cõfingere auſi ſũt. Mire enim Prometheos quoſdam agunt ἢ κοροπλάθους ἐν λόγοις.

Vellem hoc genus exercitationis in ſcholis iuuenũ valere, vt propoſita themata cum amuſſi artificij ſeu methodi componerent, & totam thematis naturam, officia, partéſq; congererent: futurum ex eo, vt ſi de re quapiam dicendum ſit, ſtatim quicquid ad illam vtcunq; pertinet, agnoſcant iuuenes. Nec, vt videtur, contemnẽdum eſt quod ſupra commonui, expedire vt in locis communibus in hunc exerceantur modũ. Etenim cum res humanę omnes colligi poſſint ceu in capita quædam, præſtat habere ea capita notata: vt quicquid inciderit, quale nam ſit, iudices: déq; eo dicturus, commodum inſtructam habeas dicendi ſupellectilem. Idem in omni genere ſtudiorũ fit: In iure ciuili, æquitas, ſummum ius, ſeruitus, pœnæ, maleficia &c. in theologia, fides, charitas, peccatum, & ſimilia notari poſſunt: quæ ſint veluti communes formulæ omnium thematum. Atq; hæc quidem de ſimplicibus ſupra, de complexis modo agemus.

PRoloquium ſeu propoſitio ex duabus ſimplicibus vocibus conſtat: quæ vt vera ſit, partium quæ coniunguntur comparatio docebit, Vt, mors eſt vita, vera nõ eſt oratio, quòd cũ vita morti nihil cõueniat: cõtrà, pietas eſt iuſtitia, vera eſt, conuenit enim pietati cum iuſtitia, quòd pietate parẽtib⁹, amicis, patriæ, ius ſuũ reddatur: iuſtitia verò eſt, qua ius cuiq; ſuũ pẽditur. Neq; verò eſt inſtituti noſtri, propoſitionis artificiũ tractare, quod tam operoſe Ariſtoteles perſecutus eſt in libro quem περὶ ἑρμηνείας inſcripſit. Sed hoc ago, vt ſupra locos inueniendi vel organa ſimplicium thematum præſcripſi, ita modo locos confirmandi confutandíve compoſiti thematis deſignarem. Cæterum quibus abſoluatur propoſitio, dialectici viderint. Hoc autem confirmãdi

De thematis compoſitis.

& confutandi artificium totum petitur à diſciplina
Loci quid. Topica, id eſt locorum. Illi enim ſunt argumentorũ
ſedes. Et horum ratio proximè ſequitur primã axio⸗
matis cõpoſitionẽ, nempe per Hypotheticam propo
Loci dupli ces. ſitionem. Itaqꝫ quicquid probamus, aut argumẽtis
ab ipſius rei de qua dicitur natura, ipſaqꝫ, vt vocant,
eſſentia, aut ex accidente agimus. Loci argumen⸗
torum ab eſſentia ducendorum, ſunt, Locus à defi⸗
nitione, locus à deſcriptione, locus ab etymologia.
Addo his diuiſionem, item concomitantes (vt vocãt)
ſubſtantiam, & cauſarum locos. Loci argumentorũ
quæ ab accidẽte ducũtur, ſunt, Locus oppoſitorum,
locus ſimilium, locus proportionum. Poſſunt his ac⸗
cenſeri & coniugatorum, & caſuum loci.

Locorum vſus du⸗ plex. De locis elegantiſſime Cicero, copioſiſſime Rodol
phus Agricola ſcripſerunt. Eorum hic eſt vſus. Cum
proponitur adoleſcenti propoſitio aliqua, vel confir⸗
manda vel confutanda: commodum cogitet, in ea
propoſitione eſſe extrema duo. Vocat enim Ariſtote
les ἄκρα, quorum cõparatione vera eſt aut falſa pro⸗
poſitio. Ibi tum redeat ad methodum ſimplicium, &
diſcat quid ſit vtrumuis extremorum. Poſtea illis in⸗
ter ſe comparatis, ex eorum definitionibus, formis,
officijs, cauſis argumentabitur. Scio hæc dialecticis
viſum iri ridicula. Sed age oportebat, vt inſtructio⸗
res redderentur iuuenes ad certamina ſcholaſtica: &
relictis illis tam frigidis Copulatorum & Eccij nu⸗
gis, è re ipſa ducerent argumenta, non è commenta⸗
rijs conſarcirent: atqꝫ vt frugem ſibi quandam è con⸗
greſſibus ſuis facerent, vt aliquando aſſueti iam olim
à pueritia graues cauſas argumentorum copia illu⸗
ſtrent: demum vel hoc maxime, vt de ſcriptis rectè
iudicent.

Iam, vt clarius intelligi poſſit quod dixi, ſic habet. Thema eſt, animam eſſe immortalem. Quod probaturus, dupliciter præſcriptis locis vteris: Aut enim petuntur argumenta ab animæ notionibus, aut ab immortalitatis ratione. Ab vtroque Plato in Phædone ſuas trahit probationes. Ab anima, cum ſic argumentatur, Anima eſt vita, non eſt igitur mortalis. Vt ſi dicas, dualitas par eſt, impar igitur eſſe non poteſt. Pugnant enim vt paris ac imparis, ita mortis atque vitæ rationes inter ſe. A morte verò, Mors eſt ſolutio contrariorum, anima igitur morti non eſt obnoxia, cum ſimplex ſit, ac citra contrariorum temperamentum conſiſtens. In hunc pleraque modum ſunt apud Platonem. ſunt item in Theologis, Legem non iuſtificare, Paulus comprobat ex ratione legis. Lex peccati eſt virtus, non iuſtificat igitur. Neceſſaria eſt hæc pars dialexeos ad comparandũ acre iudicium de veterum ſcriptis: & digna profectò, quã in ſcholis diligenter exerceat iuuẽtus. Fuerat huius loci docere, vt ſæpe ordines illi organorum inuertantur, ſic quod è poſterioribus priora cognoſcuntur: vt quia homo inuenit, diſſerit, iudicat, rationis capacẽ definio. Sed ego de exacto genere dixi, & inuertere ordinem facile diſcet, qui hæc vt præſcripſi adiutus dialecticis exercuerit. Quin & nos ſi dabitur, in Ariſtotelicis olim cõmẽtarijs hæc agemus latius. Nec enim refloreſcent vera ſtudia niſi dialecticorum impuras & indoctas nugas prorſum deputemus. Et hæc quidem de genere demonſtratiuo, quod ad docendum accommodatum, propriè dialecticorum eſt, ſatis ſit admonuiſſe. Bonis iuuenibus conſulo, in eo exercendo plurimum operæ ponant, qui optimum ſibi iter ad ſumma ſtudia volent munire. Pręſtent interim ſeduli, ne in exercendo

Pollicetur commẽtarios in Ariſtotelem.

artificio cultum ac ſplendorem oratoriũ relinquant.

DE GENERE DEMONSTRATIVO LAVDIS AVT VITVPERII.

Secunda pars generis demonſtratiui, quæ de laudando & vituperando eſt.

P ARTEM GENERIS demonſtratiui, vt ſupra dixi, quæ ad docendum pertinet, ad acroamata dialectica relegarũt, qui de rhetoricis ſcripſerũt, videlicet diuiſis profeſſionũ vicibus, ſecuti hoc genus, quod in ciuilib9 cauſis verſanti, neceſſarium videbatur, quod licebit fortaſſe laudatoriũ nuncupemus. Eſt autem, vt hoc primùm dicam, vel perſonarum, vel factorum, vel rerum προσωποποιηθεισῶν, id eſt pro perſonis acceptarum.

DE LAVDE PERSONAE.

Partes orationis qua pſona laudatur.

O Ratio qua perſona laudatur, has habet partes, exordium, narrationem, & perorationem: non requirit contentionem.

Exordium

Exordia ſæpe longius ducuntur: vt apud Iſocratem in Panathenaico, Et eorum eſt multiplex ratio. Mihi ſic videtur, vt paucis annotem, (non eſt enim animus mihi perſequi in his omnia, ſed ea tantum, quæ faciunt ad exercendos iuuenes, & quæ ferè ſunt vulgatiſſima, vt ratione quadam, vel in epiſtolis obſeruent artificij decôrum, quod veteres tam ſpecioſum ad poſteritatem tranſmiſerunt) Primùm omnium in tota ratione exordiorum hoc cauendum eſt, ne nimis longum ſit, atque vt ex cauſa veluti natum videatur.

Exordij ratio in cauſa honeſta.

Deinde, ſi honeſtum vulgo ducitur, quod laudaturus es, ſic facies. Habet exordium quiddam preludijs muſicis ſimile, ſic vt conciliet, excitétque auditorem. Beneuolentiam vocant, cum conciliatur. attentio & do-

cilitas excitant, erudiunt. Principio igitur, (nam ita ferè fit) beneuolentiam captamus, aut à noſtra perſona, aut ab audientium perſona, aut ab ipſa cauſa. Beneuolentia vnde patanda.

A noſtra, efficaciſſimum mihi videtur, ſi oſtendas dicendum tibi eſſe, ex officio, vel priuato, vel publico. Publico Demoſthenes in funebri vſus, non temeritate aliqua, ſed authoritate Senatus ſe dicere. Idem in conſilijs videtur mihi potiſſime ſequendum eſſe.

Ab audientium perſona, ex re ipſorum eſſe qui audiunt, vt de illo quàm plurima dicantur. Ita commodo ſuo auditor conciliabitur. Item, ſatis perſpectum eſſe tibi, neminem ciuitati vniuerſæ chariorem fuiſſe, neminem ciuibus gratiorem publice ac priuatim.

Ideo non dubitare te, quin auide ſint audituri. Vehemens eſt talis in capite orationis affectus. A re ipſa ſeu perſona: vt maiorem eſſe, quàm laudando quiſquam queat aſſequi. vt in Baſilio Nazianzenus.

Hi ferè loci plurimum valent, & aptiſſimi ſunt ad exercitationem, cum oratoriam, tum epiſtolarem. Si quis plures volet, rhetores conſulat. è quibus nemo erit vtilior Trapezontio. Nos contenti ſumus, etiam rudiſſime viã quandã artis adoleſcentibus monſtraſſe. Sic eſt enim rhetorica aliena à ſcholis, vt nõ liceat, niſi rudia præſcribere. Attenti erunt, ſi de magnis, nouis, vtilibus rebus, dicturum te affirmes. Attentio.

Docilitas in genere laudatorio non admodum requiritur, eſt enim propria obſcurarũ cauſarum. Omnino autem in exordio, præſertim èa parte, vbi attentos facimus auditores, de cauſa ipſa, déque argumento prælibandum eſt. Sic enim videtur exordium propriè ad cauſam pertinere. Docilitas.

Quòd ſi dubia eſt, aut turpis cauſa, quã acturus es, inſinuatione ad hæc principio vtamur, id eſt, hoc re- Exordiorũ ratio in cauſa turpi.

mouendum eſt,quod maxime facere contra nos videbatur. Eſt enim inſinuatio, vbi clanculum irrepit in animum auditoris orator.Fit autem,cum transfertur id quod turpe eſt, & occupatur ſpecies quædam honeſti.Vt ſi quis Therſiten ſit laudaturus:principio admoneat, agnoſcere ſe publicum Therſitæ odium: tamen boni viri eſſe,non committere, vt fama, nunquam non mendax,aut poetarum fabulæ, iudicium anteuortãt.Elegãtiſſima eſt inſinuatio in Miloniana oratione Marci Ciceronis, vbi inſueta iudicijs præſidia armorum, ſpem ſibi facere ait,quæ tamẽ metum potius facere videbãtur. Proinde cum in inſinuationibus,plurimum ſit artis, relego iudicium earum ad magnos rhetoras,contentus aliquam vtcunque viam tradidiſſe conficiendi exordij,eámque vulgarem.

Narratio in laudanda perſona

Narratio laudũ perſonæ ſimillima eſt hiſtoriæ. Nec enim placet quod ſolent nõnulli principio narrationis diuidere genera bonorũ, & ex ijs veluti membris orationem ducere,vt cum primum cõmemorãt bona animi,quàm fuerit quem prædicant tenax iuſti, quã pius,quàm fortis,&c. Deinde quæ fortunæ ſunt,quibus natalibus, quorum ſtudio ad id fortunæ culmen euectus ſit. Confuſior eſt talis narratio, quàm auditoris ferat memoria, & olet neſcio quid triuiale ac ſcholaſticum. Illa verò, quæ perſonæ natales, educationem,vitæ facinora,ordine exponit, quem præſcribit natura, videtur virile quiddam, & dignam oratore faciem præ ſe ferre, quin & video hanc narrandi rationem frequentem veteribus.Itaque in orationibus,quibus perſonæ laudantur,hiſtoriæ modus cõcipiendus eſt. Imò ab ipſo narrationis capite, vſque ad perorationem,nõ aliud eſt quàm hiſtoria. Sed hoc intereſt,quod breuius ac ſimplici⁹ dicit hiſtoria:orator

interim ad locos communes euagatur,comparat,alia auget,extenuat alia,addit ſpiritum orationi,affectus, πάθη,& reliqua id genus.

Sunt igitur loci inuentionis in hoc genere:

Natales,
Educatio,
Adoleſcentia,
Iuuentus,
Senectus,
Mors.

Natales.

In natalibus cõmemorari poſſunt maiorum imagines,familiæ decôra. Quæ quãquã noſtra non ſunt,tamen habent plurimũ momẽti ad vitã recte inſtituendam.admonemur enim vel exemplis maiorũ,vel occaſione quacunq; alia. Solent præiudicia quædam & omnia vitæ capi ex prodigijs,& portẽtis,quę vel prędedunt natiuitatem vel ſequuntur,vt aiunt de Platone,mella feciſſe in ore infantis,apes.Accedunt ad ſingulos locos circunſtantiæ, quæ augent peculiari gratia orationem,quo tempore quis ſit natus,quo loco.

Educatio.

In educatione duo ſunt ſpectanda,ingenium puerile,indolésve,ac inſtitutio curáque parentum, Item præceptorum: nam in alijs vincit ingenium, in alijs inſtitutio.Bonam inſtitutionem Senecæ,Neronis ingeniũ ſuperauit,contrà plus dedit inſtitutioni Lycurgus, vt Plutarchus ſcribit. Ac planè ita ſunt res humanę,rari ad frugem peruenerunt,qui malis ingenijs fuêre:rariores,qui male inſtituti ſunt.Ingenia noſcuntur ludis,conſuetudine æqualium,ac amore ſtudióq; eorum,quorum cognata eſt indoles. Nam vt quædã inter ſe brutis,ſurdíſque rebus,vel amicitię,vel inimicitiæ nota eſt, vt magneti cũ ferro, ſic pueris familiaritas cum cognatis ingenijs facile cõtrahitur, cũ alie-

nis difficulter. Ad indicia ingeniorum pudor, æmulatio, admiratio accedunt. Alij grauiter ferunt obiurgari, alij ad verbera quoque induruerunt. Adeò multa ſunt, ex quibus vitæ ſequentis ratio præſumenda eſt, quæ omnia diligenter ſunt obſeruanda legentibus hiſtorias & comœdias veterum.

Adoleſcentia.

In adoleſcētia, vbi primus vitę fructus eſt, primùm mores ſpectandi ſunt, quorum ſenſum non capiebat pueritia. Hic plurimi fit amare & complecti virtutē, & virtutis ſtudia affectare. Multum ad hæc vſus & conuictus bonorum, vel (ſi illi non contingant) mediocrium. Rari malorum contagio non ſunt infecti: quanquam & hoc nomine Pamphilus Terētio prædicatur. Potiſſima verò ſignificatio virtutis hac ætate emicat. In adoleſcente Cicerone ardens ſtudium literarū, in Catone rara ſeueritas: in Scipione, Annibale, bellicæ gloriæ amor. Et ferè talis fit quiſque, qualē vixit adoleſcentiam. Sunt enim, vt ante dixi, ea demū vitæ principia. Adoleſcentiæ duplex exemplum Plautus fecit in Trinumo, duplici inter ſe viuendi ratione pulcherrime cōparata. Videóque hanc comœdiæ frugem eſſe ampliſſimam, vt ex ea adoleſcentiæ exempla capiamus. Virilis enim inſtitutio ex hiſtorijs potius capienda eſt. Quanquam omnium maxime velim erudiri teneras mentes ſtatim à pueris hiſtorijs Euangelicis, quarum cognitio non poteſt nō ſaluberrima eſſe. Et eum morem docendi tenuit vetuſtas, tot pietatis exemplis clara. Ita ſimul cum cognitione ſacrorum creſcit amor honeſti fidéſque, odium ſcelerū ſeculíq́, & cœleſtes illæ dei plantæ, hoc eſt, ſacris imbutæ mētes, fructibus ſpiritus (quid enim dubites?) rigantur. Id aliquoties CHRISTVS, ſæpe Paulus cōmonuit: Nicena poſthac Synodus decretis cauit, ne

quis è numero Chriſtianorum ſacris libris, quæ Biblia vocant, careret.

Iuuentus ſola ſibi veram ac ſolidã aſſerit laudem,ſi quid eſt per virtutem geſtum. Huius duplex laus eſt, alij enim in republica degunt,alij priuatim. In republica quæ pluribus proſunt modis, meliora ſunt. Vt pax quę eſt alumna publicorũ commodorum,melior eſt bellis:ita virtutes pacatæ, bellicis præſtant. In his exempla ſunt,melior Cęſare Cato,melior Themiſtocle Solon.In hoc genere viuendi ſpectãdum eſt, quid per virtutem geſtum ſit, quid per fortunam feliciter aut infeliciter ſucceſſerit,quid prudenter, quid iuſte, quid fortiter,quid moderate actum ſit.Suam ſingula laudem merentur:ac vt ante dixi,his diſcrepat ab hiſtoria,demonſtratiua oratio, quòd ad locos cõmunes, virtutum laudẽ,fortunæ rationes digredimur. Quod genus exercendi longe vtiliſſimum eſt, & ad ipſum vſus hiſtoriarũ mire confert, quæ per locos cõmunes notandæ ſunt, vt comparatione rerum noſtra oratio creſcat. Nam comparatione ſimilium, diſſimiliúmve,clareſcit argumentum quod dicitur.Vt ſi quis noſtræ ætatis Theologos,cũ Phariſæa gente cõparet,facile ex illis mores horũ docebit,modo caueat,vt ſimiliũ ac diſſimiliũ accurate rationes & diſcrimina intelligat.Ad hæc affectus accedũt,exhortationes, & obiurgationes,exclamationes: vt eſt in exẽplis cernere. Et paſſim per totã narrationẽ vbi exiget hiſtoria,incidet quod purgandũ defendẽdúmq; eſt. Vix enim aliquorum laudes tã ſunt integræ,vt non aliqua ex parte cõmune quiddam cũ hominũ ingenijs patiantur: vt Catonem laudans,purgabis,quòd pars belli ciuilis fuerit, declarans, quàm pertinaciter à principio rei Romanæ voluerit cõſultum, quàm iniquum ſemper

Iuuentus.

habuerit Cæſarem,qui eius potentiæ ſemper obſiſte-ret:fato,& iniquitate temporum,in hæc tractum bella:cæterum honeſtioribus partibus ſtuduiſſe:Sic quæ laudari vulgo non poſſunt,excuſanda ſunt.

Senectus.

Senectus multa habet cum iuuenibus communia, præſertim priuatorum hominum. In publicis, conſilia ſenum propriæ laudes ſunt. Vt & apud poetam ſenum Troianorum orationem λειριόεσσαν laudant, vinolentiam obiecit Catoni Cæſar. Ita ſunt ſingulæ ſenum laudes,ſunt & ſingula vitia:Sene luxurioſo nihil eſt immanius: Ferè auari in comœdijs fingũtur.

Mors.

Sunt & mortis præconia, vt eorum qui vitam pro patria perdiderunt:Sic apud poetam eſt, pulchrã per vulnera mortẽ. De morte eſt ampliſſima dicendi materies ijs,qui funebres,maximéque publicas habent. Qualis eſt illa Demoſthenis pro ciuibus ſuis, qua nihil potuit elegantius fingi.

Orationes funebres.

Atque vt de funebribus obiter nonnihil attingam,funebres laudes,vel priuatorum hominum ſunt,vel publicæ,vt quæ cæſo exercitu dicũtur.In funebribus priuatorũ perſona laudatur ijs,quos præſcripſi locis,natalib⁹,educatione, curſu,geſtiſq; vitæ. In funebribus multorũ, laus aliunde petitur: vt à decôris,patriæ,gentis,vrbis, pro qua illi mortem oppetierunt.deinde à cõmodis quæ peperit illorum mors: quin & à generali mortis ratione, qua ferè in conſolando,ſi deſit honeſtior occaſio, vtimur: Ad hanc rẽ multum valebũt tragœdiæ,valebit itẽ heroicũ Virgilij aut Homeri poema. Vtrũq; enim cenſeo pari ſtudio ſequendũ eſſe. Inter priuatas funebres ac publicas hoc intereſt, quòd in priuatis ferè commiſerationem mouere volumus, cõſolari autem in luctu publico.Habes exempla priuatarum multa. publicum apud Demoſthenem. Et hæc quidem de

narrationibus in laudibus perſonarum.

Contentionem dixi paſſim in laude perſonæ, narrationi hiſtoricæ miſceri.

Contentio non neceſſaria in laudandis perſonis.

Peroratio habet enumerationem & affectum. Enumeratio eſt, quum colliguntur ſummatim egregia maxime decôra, & quibus ille cum reipublicæ, tū nomini ſuo optime cōſuluit. Affectus. Vt in lætis mouemus ad cōgratulandū. In triſtibus, vel cōſolamur, vel mouemus cōmiſerationem. Hoc igitur eſt filū orationis demonſtratiuæ, qua perſona laudatur.

Peroratio

Idem eſt vituperij artificium, ſi ea quæ dixi de laude in diuerſum trahantur: Natales obſcuri, educatio mala, adoleſcentia turpiter acta, iuuētus imbuta omni genere flagitiorū, ſenectus impura, mors digna tali vita. Æſchines apud Demoſthenem ferè talibus locis tractatur: ſed eius natales illuſtres ſunt, quò ſunt & conſpectiora crimina. Nā in vniuerſum eſt obſeruandū de fortunę & corporis bonis, ne ipſa per ſe bona putētur: ſed talia, qualia vſu vitæ noſtræ facimus. Solam meretur animus laudem: fortuna & corpus, vt bonis mentibus ſubiecta ſunt, ita è contrà captiua eſt mens mala, fortunæ & corporis. Laudātur perſonæ ſæpe in ciuilibus negotijs, in concionibus ſacris vt vocant. Quare diligenter hoc genus orationis exercendum eſt. Quin ad iudicādas hiſtorias apprime cōducit. Et ad hoc habenda ratio proſopopœiarum in poetis ac oratoribus, vt Vlyſſes vbique vafer eſt, Annibal dubiæ fidei, cunctator Fabius.

Vituperandi ratio.

EXEMPLVM.

Carolum Cæſarem laudaturus, hoc agat ordine.

Natales ex Pipino patre, qui primus intulit nomē Chriſtianiſſimi nomini Francorū: auo Martello principe, bellica gloria cum nemine neque maiorum, ne-

Carolus magnus quomodo laudandus

que poſteriorum conferendo.

Educatio, puer ſub Petro Piſano meruit literis latinis & græcis.

Adoleſcentiam in armis egit, tyro ſub patre fortiſſimo viro in Aquitanis, vbi & Saracenicam linguam didicit.

Iuuenis regnum adeptus, Aquitaniã, Italiam, Sueuiã, Saxonas pacauit. Atq; hæc quidem bella ea felicitate geſta ſunt, vt magis vicerit authoritate & prudentia quàm ſanguine ciuium. Ad hæc accedunt plerаq; pietatis exempla, potiſſimum quòd ſcholam Pariſiorum dicauit. Hic digredi licet, quàm honeſte ſint principibus viris literæ, atq; eæ maxime quæ ad pietatem pertinent. Et hic fiat comparatio ciuilium & bellicarum virtutum. Sanè tale eſt hiſtoriæ filum, vt longe ciuilibus præſtitiſſe videatur: nihil enim prius pace habuit. Clementia tali, vt noxijs etiam, ſi qua liceret, parceret: pietatis adeò amans, vt aſſiduo vſus ſit Alcuino Anglo de diuinis diſſerente. In pleriſque Conſtantini Cæſaris ſimillimus, cuius comparatione nonnihil creſcet Carolus.

Senectus pacata, hoc vno infortunata, quòd non conueniebat prorſum inter filios.

Mors, Conſectanea mortis ampla: reliquit enim ex ſe filium, optimum principẽ Lodouicum Pium. Inter hæc ſæpe excurſionibus de horũ temporum moribus declamare licet.

DEMONSTRATIO FACTORVM.

Facta quomodo laudanda.

SEcunda pars demonſtrationum eſt, qua facta laudamus aut vituperamus, non perſonas: Solet enim fieri, vt vnum aliquod facinus impẽſe magnam afferat commoditatem aut

damnum, perſona interim ignobili. Nec eſt mediocris artificij, vnius facinoris famam oratione augere. Plurimũ eſt huius generis vſus cum congratulamur, aut gratias agimus. Vtrunque frequenter in epiſtolas incidit.

Exordij ratio eadem eſt, quam ſupra tradidi. Exordium

Narratio his conſtat. Aut conſtat factum, vt cum gratias agimus priuatim: aut non conſtat factum, vt cum vulgo dicendum eſt. Si conſtet factum, breuiter incipe narrationem, vel à reliquæ vitæ decôris, ſi qua ſunt: vel abunde ex geſtis aliorum, quibus cum ille conferri poteſt, & ea vitæ reliquæ decôra, vel aliorum inſignia, cum hoc facinore compara. Vt M. Cicero in oratione pro Marcello, gratias agens Cæſari ob reſtitutum ciuem, ſic narrat multa eſſe alia Cæſaris præclara facinora bellica, hoc autem ciuile multo clariſſimum. Hæc veluti propoſitio fungitur narrationis vicem. Sed eam expolitione prius declarat, quæ pars item ad narrationem pertinet, deinde argumentis cõprobat, quæ confirmatione cenſebuntur. Sic enim argumentatur, Hoc factum, ſcilicet reſtitutio M. Marcelli, ſolius animi eſt, ergo honeſtius eſt. Vere tuũ eſt, clarius igitur. Spem animúmq; facit ciuib9, eſt igitur vtile factum. Sic ab alienis ducuntur narrationes, ſi quis Mutiũ Scæuolam laudaret, quòd auſus fuiſſet in caſtra Hetruſca penetrare, cũ cætera eius vita ſit ignota, ſic dicat: Multa ſũt in repub. Romana clariſſimorum ciuiũ egregia. Sed quæ conferri cum hoc Mutij facinore poſſint, tã pauca ſunt, quàm hoc Romanæ ciuitati ſub hanc tempeſtatem neceſſarium fuit. Ad hoc probatio accedit, quam ferè declarãt circunſtantiæ. Nec enim bonũ eſt, niſi quod bene fit. Loci verò huius laudis, quibus in cõfirmãdo argumẽtamur, ijdẽ

Narratio, vbi factum conſtat.

ſunt,qui in genus deliberatiuum cadunt, honeſtum, vtile,facile,difficile,opportunũ &c. Ego omnino tres facio,honeſtum,vtile,facile. Reliqui his comprehendi ſolent. Nam fas,iuſtum,pium,mãſuetum, & ſimilia, honeſto complector:iucundum, vtili: facili, difficile, opportunũ &c. Perinde enim vt facienda ſuademus, ſic facta laudamus. Probabitur honeſtum eſſe,Scęuo lam penè penetraſſe in caſtra hoſtium,vel priuatim, vel publice. Priuatim,quia ingẽtis animi facinus fuerit,quia conſulto aggreſſus ſit. Publice, quia non poteſt non honeſtum eſſe, quod bonus vir conatur pro ſalute patriæ. Sic de reliquis. Nã in ſuaſorijs infra ad hunc modum diuidemus locos, è quibus factorum commendationem petemus.

Narratio vbi factum non cõſtat.

Sin autem factum non conſtet,aut vulgo dicendũ eſt,factum ipſum hiſtorica narratione dicetur. Accedent eius laudes veluti cõfirmationis vice, petitæ ab honeſto, vtili, facili, ſeu difficili, vt poſtulabit ratio. Sunt autem in factis potiſſimum ſpectandi loci communes,an per fortunam,vel noſtro conſilio,prouidẽtiáve,aut per iuſtitiam,æquitatem,fortitudinem geſta ſunt. Vbi & ſuam ſingula merentur laudẽ:& vnũ aliquod facinus,ſæpe iuſtitia & fortitudo commẽdabit,ſic de alijs locis. Fortitudinis ſua laus,ſua itẽ iuſtitia erit,in laudando Bruto,quòd de Aquilijs & Vicellijs pœnam ipſe ſumpſerit. Erunt interim & defendẽda quædam,vt laudanti Camillum,quòd cum Gallis congreſſus, fidem non violarit. Heliam impetraſſe precando pluuiam,colliges argumentum,valere mutua hominum apud deum vota. Sic pro exercitu pugnãte,orat Moyſes. Dathan & Abiron exempla ſunt ſeditioſorum. Et ſimilia his ſexcenta. Admittit hoc genus cõfutationem,maxime,quum dubia facta lau-

dantur,vt de Camillo dixi. Iidem loci confutationis ſunt,qui confirmationis, vt probabimus diuerſa eſſe turpia,inutilia. Peroratio in hoc argumento conſtabit enumeratione, vt ſupra, collectis aliquot inſignibus commodis eius facinoris. Et affectu,vt congratulamur,ſi lætum ſit: commiſeramur triſtia, odiſſe incipimus turpia. Quæ omnia ſic diſpenſa,vt exiget argumenti conditio. Peroratio.

DEMONSTRATIO RERVM ACCEPTARVM PRO PERSONIS.

Tertium genus rerũ pro perſonis acceptarum, vbi non tantum proſopopœias comprehēdi volo,ſed quicquid eſt rerum,quæ ſolent in oſtentationis argumētum laudari. Vt iuſtitia,fides,pax,literæ, pietas,religio,plantæ,animātia. Quod cauſarum genus bifariam tractari poteſt, aut commendatione,quæ in natura rei poſita eſt:aut laude alicunde extrinſecus allegata. Commēdatio prior, quæ in natura rei poſita eſt, ad methodum dialecticam proprijſſime pertinet,in qua ſola ferè res ſimpliciter & ſecundum ſe comprehēdi poteſt. Voco enim hic rem προσωποποιηθεῖσαν rem cõceptam per ſe, non vt formam alterius. Poſterior commendatio vulgatior eſt, vt cum de inuentione, vſu & cõmodis rei cuiuſpiam craſſe diſſeritur. Et huiuſmodi ſcribuntur hodie pleræque orationes in ſcholis, vbi de literarum inuentione & progreſſu diſſeritur. Et Politianus elegantiſſime de hiſtoria dixit:Habet autem hoc genus aliquid ſimile methodici ſeu dialectici,eiúſque planè ſimulachrum ceu vmbra quædam eſt. Accipit enim cauſas ex methodo,& officia, item affinia & cõtraria, breuiter omnia extranea themati,ea quæ ſubtilior &

Laus rerũ pro perſonis acceptarum.

exacta ratio in thematis natura collocat, non agnoſcit. Artificium eius hoc eſt.

Exordia tractantur, vt ſupra docui, quamuis ferè nulla ſint in huiuſmodi orationibus.

Narratio nihil aliud dicit, quàm quod breuiter hoc proponit de quo dicturi ſumus. Qualis eſt elegantiſſima illa Politiani propoſitio, in oratione qua hiſtoriam laudauit. Inter omne ſcriptorum genus, quibus vel Græcæ, vel Romanæ literæ floruerunt, ij mihi haud dubie de rebus humanis egregie meriti eſſe vidētur, per quos, aut excellentium populorum, aut ſummorum principum, aut omnino illuſtrium virorum res geſtæ fidelibus hiſtoriarum monumentis commendatæ ſunt. Hæc propoſitio narratio eſt, qua per comparationē extollit hiſtoriæ dignitatem: plurimū enim ſemper valet ad laudes vel vituperia, comparatio: Sic medicina laudatur ab Eraſmo. Argumenta verò laudum ſunt, honeſtas, & vſus. Honeſtas, antiquitate, miraculo rei, inuentoribus tractatur. Vtilitas vulgatur in multa, cum circunſtantijs docemus, quibus, quando, vbi, cur, res ſit vtilis. Pueritiā format hiſtoria, erudit adoleſcentiam, ſenectutem admonet, publicas res adumbrat, vitæ varios inſtabiléſque caſus ob oculos ponit, priuatis ſolatio eſt. Hæc creſcunt, ſi contraria cū themate comparemus, rerum præteritarum obliuionem cum hiſtoria, illam quid & quantum incommodi pariat declaremus. Vt ſi quis probet multa ex patrijs moribus, ex eccleſiæ ritibus antiquata, quod aliquādiu patriæ hiſtoriæ, item eccleſiaſticæ delituerint in ſitu. Sed hoc in literis tractandis maxime procliue eſt: vt quum ambigitur in iure, de legibus, vtra prior aut poſterior ſit: & id genus multa. Vides pleriſque hoc genus cum ſuaſorijs conuenire. Maxime confuta

tionem quoq; hoc genus admittit, vbi quæ contra hiſtoriam, contra medicinā, & ſimilia, dicuntur, diluenda ſunt. Iiſdem locis confutamus, quibus cōfirmabatur. Nam declarandum eſt, non eſſe honeſta, quæ cōtrà dicuntur: nec itē ad vtilitatis rationem pertinere, quæ obijciuntur. Exemplum habes Eraſmi declamationē de medicina. Quod ſi multiplex res eſt de qua dicitur, aut laus ipſa multiplex, præſtiterit ſtatim poſita propoſitione, diuidere. Nā vt in methodo, à quo hoc demonſtrandi genus non longe diſſidet, primùm quid ſit: deinde, quàm multiplex, quæritur: ſic hoc loco, cum propoſueris, nihil in terris eſſe, quod virtute præſtabilius duci queat: ſtatim addas te de duplici genere virtutum acturum, de ciuilibus & priuatis. Eſt & ipſa diſtributio in exordio, cum præmonemus dicturos primū quid ſit, & quàm late pateat: deinde quàm neceſſaria cōmunibus hominum rebus. Quod genus diuidendi plurimum confert memoriæ dicentium, & intellectui auditorum. Hoc verò genus quādoquidē eſt perfrequens ſacris concionibus, videtur mihi non indiligenter iuuenibus exercendū eſſe. Vt ſi contra auaritiam ſis dicturus, ſic exordire, à perſonis audientiū: magno tibi ſolatio eſſe, quod apud bonos viros, & amantes reipub. cōtra peſtilentiſſimū vitium, idémq; alieniſſimū à reipub. ſalute, auaritiā dicturus ſis. ecce hæc beneuolentia eſt. Cæterū id vitiū ita late patere, vt vix vlla vnquā fuerit ciuitas quā nō aliqua ex parte labefactarit: neq; vllū tantū ingeniū, quod ſemel ei9 incōmoda cōmemorare omnia queat. ecce attētio. Te autē conaturū, vt quoad liceat plurima feras in mediū: dicturúmq; primū, qd ſit auaritia: deinde, quā noxia reb9 cōmunib9. ecce hoc docilitatis eſt. Deinde narra: Nihil eſt qđ cōmuni hominū cōſen-

ſu tam turpe ducatur, quàm philautia: auaritiam ve rò cum illa coniunctiſſimam eſſe. Sic deinceps. Itaq; eſt duplex diſtribuendi ratio: alia orationis, vt cum càpita orationis dicuntur: alia cum thema diuiditur. Prior diſtributio, narrationem præcedat, vt de auaritia dicam, & quid ſit, & quàm grauis publicis rebus. Poſterior, ſequatur narrationis caput: vt duplex eſt auaritia, priuata & publica &c. Fuerit operæprecium in hoc tertio genere habuiſſe rationem diuiſionis, in ſuperioribus duobus non requiro: nam prima ratio laudandi hiſtorica ſit, ſecunda ſimplicis facti eſt, tertia latius vagatur. Peroratio enumeratione conſtat, & affectu. vt ſi dehorteris affinē, ab auaritia, à ſordib9. Laudantur hoc modo herbæ, animantiáq; nonnunquam vt apud Plinium luſcinia, teſtudo: apud Homerum moly: ſic apud alios alia, quæ ad hoc potiſſimum genus pertinent.

Et hæc de genere demonſtratiuo, in quo qui ſe diligenter exercuerit, plurimam ſanè frugem facit in literis, nam ad iudicium vel primo loco cōfert, ad hæc diuites hiſtoriarum, locorum communium, ſententiarum ac verborum reddit. ipſúmq; nos quàm potuimus, abſoluimus rudiſſime, quò viam ſaltem ad rhetorica iuuentuti muniremus. Nam quæ ſcripſi, ad imitationem conducibilia videntur.

- Genus demonſtratiuũ duplex eſt.
  - Didacticõ ſeu dialecticum.
    - Thematis ſimplicis, vt iuſtitia, beatitudo.
    - Thematis complexi, vt iuſtitia eſt neceſſaria rebus pub. adminiſtrãdis. Anima hominis eſt immortalis.
  - Laudatorium, vituperatoriumq;.
    - Perſonæ, cuius geſta, filo, ductúque hiſtorico narrãtur.
    - Factorum, quod comparatione, & locis deliberationum, honeſto, vtili, facili tractatur.
    - Rerum, quę pro perſonis capiuntur id eſt ſecundũ ſe ac principaliter tractãtur, vt iuſtitia:
    - Talis commendatio eſt extranea rei, vt vbi rei officia, vſus, commoditas, inuentio dicitur.

Exordium, vt obiter repetam orationis partes, beneuolum facit auditorem, vel à cauſa, vel perſona ſua, aut auditoris. Attentum, ſi de magnis & arduis ſe dicturum affirmat. Docilem, ſi ſummam cauſæ exponat, & quo ordinę ſit dicturus, indicet, ac veluti orationem hic diuidat. Ducuntur ab alijs exordia, aut à ſententijs, prouerbijs, fabulis, hiſtorijs, ſed apud ſophiſtas maxime, vt apud Ariſtidem in Romæ laudibus. item in Panathenaico, Lex eſt inquit, omnibus mortalibus cum Græcis tum Barbaris communis, reddẽ- Exordium

dam alumnis gratiam. Mihi ſanè videntur id genus exordia efficaciȩ eſſe,ſed eorum magiſter Vſus eſt.

Narratio.

Narratio,expoſitio rei geſtæ, vel ſimplex eius propoſitio quod agitur. In tertio genere laudum videntur narrationes commodiſſime poſſe trahi à genere, ſi de ſpecie dicatur,id eſt,omnino à communiore aliquo.Declarant enim communia,& latenter in id inducunt,quod probandum eſt tibi.Vt Lucianus de calumnia dicturus,ab ignorantia incipit,quæ communius quiddam calumnia eſt.

Contentio nis partes.

Narrationem,ſi non eſt hiſtorica, neque facti ſimplicis:ſequitur thematis diuiſio. Ex diſtributione ſtatuitur quod nobis confirmandũ eſt. Confutatio proxime confirmationem ſequitur, quæ duæ partes ſunt ceu corpus orationis.In hiſtoricam laudem rarius cõfutatio cadit,raro item in ſecundum genus, in tertiũ frequenter.

Peroratio.

Peroratio conſtat enumeratione compēdiaria eorum quæ dicta ſunt,& affectu, vtrunq; amplificationibus. Amplificamus verò per comparationes, per circunſtantias,locos communes, & ſimilia, ſed collationibus aptiſſime.Nam aliæ amplificationes cadunt in mediam orationem rectius,vt ſi Scipionem gloria rei militaris cum Alexandro compares: iuſtitia cũm Ariſtide, prouidentia cum Themiſtocle, magnitudine animi cum Leonida.

Sed in genus demonſtratiuum ſeu laudatorium, primi ac vltimi generis cadunt proſopopœiæ,itē proſopographiæ,cuiuſmodi ſunt:Eraſmi Moria,quæ natalibus ſuis recenſitis, docet, quàm multis modis cõmodet humano generi.Item virtutis ac voluptatis apud Sillium poetam.Occaſionis apud Auſonium:iuſtitiæ apud Chryſippum,referente Gellio. Propio-

res ſunt comicæ perſonæ,vt apud Terentium Mitio, ac Demea. Tales ſunt heroicæ,vt pius apud Virgiliũ Æneas,orator Drances,impotẽs animi iuuenis Turnus. Item hiſtoricæ,cunctator Fabius,audens Scipio, crudelis Annibal, crudelis Sylla, Traianus mitis, ſimulatæ clementiæ Iulius, popularis Publicola, Appius aduerſus plebi. In eum modum operæprecium fuerit in fabulis,ac hiſtorijs,perſonarum ingenia diligenter obſeruare. Sunt enim peculiares ferè notæ ſingulorum hominum,ſingularum ciuitatum,ſingularum familiarum. Quæ omnia,ſi curæ fuerint,pulcherrime ciuilium rerum ſenſum,ne dum ſtudia literaria erudiunt. Vulgantur enim hæc paſſim in omnem vitæ humanæ vſum, in omnia negotia,cum publica,tum priuata,in omne item genus literarũ. Quo minus ſunt audiendi, qui iuuentutem adeò impure inſtituũt,vt nullius rei minor ratio,quàm hiſtoriæ habeatur. Mihi certè de illa ſic videtur, neminem quicquam effecturum vnquam egregium, qui nõ multũ hiſtorijs operæ locarit. Oratio prorſus inefficax eſt, ſi deſint hiſtoriæ. Theologorum literæ maxime hiſtoricæ ſunt. Manca eſt diſciplina iuriſconſ. ſi careat hiſtorijs, id quod ſexcẽtis liceat exemplis comprobare: ſed & ante de his,& ſoleo in hanc partem ſæpe multa dicere,quòd videantur mihi non poſſe refloreſcere ſtudia,niſi ad hiſtorias quoque redeamus. De proſopopœijs verò & proſopographijs eſt elegans & eruditũ caput apud Eraſmum in copia rerum,ex quo intelliges quo iudicio poetæ & hiſtoriæ legẽdi ſint. Iam verò obiter de circunſtantijs, locis communibus, & affectibus dicemus.

DE CIRCVNSTANTIIS.

Circũſtantiæ.

CIrcunſtantias Græci περιστάσεις dicunt. Eæ partim ſunt rerum, vt cauſa, locus, occaſio, inſtrumentum, tempus, modus, atq; id genus aliæ. Partim perſonarum, vt natio, patria, ſexus, ætas, educatio, diſciplina, habitus corporis, fortuna, conditio, animi natura, ſtudium, antè acta, cõmotio, conſilium, nomen. Conducit ad multa circunſtãtiarum aptus ac tẽpeſtiuus vſus, primùm ad amplificandum atque extenuandum, vt pecuniam è ſacro furatum eſſe, plus eſt, quàm ſi dicas furatum. Deinde ad euidentiam, quæ non tam dicere videtur, quàm oſtendere. Præterea ad confirmationem & probabilitatem, facit enim vt tota oratio denſis ac crebris argumentis vndique differta ſit & communita. Quæ tametſi non explices, quaſique in aciem educas, tamẽ pugnant per ſeſe, cauſamq; nõ mediocriter adiuuant, vt quemadmodum licet aliud agentem, tamen agnoſcere liceat, paleſtricæ aut muſicæ peritum: ita vbiuis ex huiuſmodi circunſtantijs commode ſuo loco admiſtis, rhetorem intelligere poſſis. Circunſtantiarum in Miloniana pulchra eſt ratio. Quidam cõmunes verſiculo complexus eſt,

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quãdo,
Qualiſque & quamuis, cuiúſve periſtaſis eſto.

DE LOCIS COMMVNIBVS.

Loci cõmunes.

PHiloſophi digeſſerunt res humanas omnes, ceu in formas quaſdã viuendi: vt alia ſint naturæ, vt vita, mors, forma: alia fortunæ, vt opes, natalium ſplendor, honores: alia ſunt in noſtra poteſtate, vt vitia ac virtutes. Sic & in ſingulis

ſtudiorum generibus ſunt quædã capita, in quæ re-ferri ſolent, quæ tractãtur illic, vt in Theologia, fides, ceremonia, peccatũ. In iure, æquitas, ſeruitus, pœna, maleficium, iudex, aduocatus, & his ſimilia. Qui volet igitur de rebus humanis recte iudicare, illũ oportet, quicquid inciderit forte fortuna, ad has ceu formas rerum exigere: Pariter cui cordi eſt recte de ſtudijs iudicare, illũ oportet tales locos in numerato habere. Nam præter id quod ſunt formæ rerum & regulæ, mire etiam memoriam adiuuant. Voco igitur locos communes, formas rerum, quę ferè in vſum rerum humanarum & literarum cadunt, vt fortunam, opes, honores, vitam, mortem, virtutem, prudentiam, iuſtitiam, liberalitatem, temperantiam: & his contraria, paupertatem, ignominiam, exilium, temeritatem, iniuſtitiam, ſordes, intemperantiam, ſeu luxum. De vſu locorum communium optime ſcripſerunt, Rodolphus Agricola in epiſtola de ratione ſtudij, & Eraſmus in copia, in hanc ferè ſentẽtiam, Qui deſtinauit per omne genus authorum lectione graſſari, prius ſibi quàm plurimos paret locos. Eos ſumat, partim à generibus ac partibus vitiorum virtutũmq́; partim ab alijs, quæ, vt ante dixi, ſunt in rebus mortaliũ præcipua, vt natura, fortuna, fatum: digerátque iuxta rationem affinitatis & pugnantiæ. Nam & quæ inter ſe cognata ſunt, vltro admonent quid conſequatur. & contrariorum eſt eadem memoria. Puta, ſit exempli cauſa primus locus, pietas & impietas. Huic ſubijcientur ſpecies inter ſe cognatæ. Prima eſt pietas in deum: ſecunda in patriam: tertia in parentes, aut in liberos, aut etiam in eos, quos oportet parentum loco colere, veluti præceptores, & quorum beneficio ſeruati ſumus. Accedit ad hæc ſuperſtitio, adijcienda eſt

Loci cõmu-nes qui ſin[t]

Vſus cõmu-niũ locorũ

igitur. Atque hic aperit ſe latiſſimus campus, de prodigioſis deorum cultibus, ac de diuerſarum gentium diuerſis ceremonijs. Eſt ad hæc accerſenda etiam fides in amicos, in hoſtes, totidémque de perfidia. Item ſit titulus, beneficentia. Huic cum ſuas ſpecies ſubieceris, reſtat gratitudo, non illa quidem huic ſubiecta, neque rurſum contraria, ſed adhęrẽs, éque ea veluti cõſequens. Virtutum ac vitiorum ordinem ſibi quiſque ſuo fingat arbitrio, aut ex philoſophis petat. Vtile conſilium eſt, quod ſupra dedi, exercendos in locis cõmunibus genere didactico iuuenes, vt ſingulorum naturam vímque proprie perſpicerent. Plurimũ ex eo ſtudio iudicij comparari, ſi quando in ſublimibus agendum ſit, vt in Theologis quid affectus, quid virtus, quid vitium. In iure ciuili, quid iuſtitia, quid ἀκριβοδικαῖον, quid ἐπιεικές. In ſingulos autẽ locos pertinent finitiones, deſcriptiones, ſentẽtiæ, & exempla fabuloſa ſeu hiſtorica. Vt ſi iuſtitia titulus ſit, erit eius finitio: Iuſtitia eſt, qua cuiq; quod ſuum eſt redditur. Deſcriptio, qualis eſt apud Gelliũ, ex Chryſippo, aut apud Heſiodum, virginem eſſe, apparere ad Iouis tribunal. Subijciẽda interim & ratio fabuloſorum, ſeu mythologia, non illa quidem imperitè aut temerè cõficta, ſed ex illuſtri aliquo authore petita: vt ſi iuſtitiæ Heſiodiam deſcriptionẽ ex Platone de legibus enarres. Iuſtitiæ comes eſt Nemeſis, temeritatis & arrogãtiæ mortalium vindex: eius item deſcriptio addenda, gerit enim frena & amuſſim. Notandum ad hæc, ſi quid vſpiam de iuſtitia inſigne dixerint poetæ, ſicubi epitheto illuſtri notauerint, vt quomodo eã dixit Orpheus ἄθραυστον τὸ συνειδός. Iã ſententiæ diligẽter coaceruandæ ſunt, nonnunquam ad deſcribendum, quo modo ſit vſus author ſententia, è qua petitur.

Iuſtitię deſcriptio.

neque enim procliue eſt cuiuis,ſententias,prouerbiáque ſic vſurpare,vt ſuam referant faciem. Qualis eſt illa Theognidis poetæ: iuſtitia in ſeſe virtutem complectitur omnem,qua ſic vti liceat,vt eſt vſus in moralibus Ariſtoteles. Exẽpla, vt eſt Camilli de Faliſcorum proditore,Bruti de Aquilijs,Mãlij de filio, quòd contra imperium pugnaſſet. His qui inſtruxerit ſeſe,habebit quod ſuppeditet ad copiã ſemper in promptu ſi qualecunque inciderit argumentum in aliquẽ locorum communium,pluréſve referat,vt Cicero reſtitutionem Marcelli, in clementiam:in qua prædicãda,dici non poteſt, quàm eleganter verſetur. cauſam Archiæ fecit laudẽ humanitatis ſeu παιδείας Hæc de locis communibus ſatis.Neque verò putes eos temere confingi,ex intimis naturæ ſedibus eruti,formę ſunt ſeu regulæ omnium rerum.

DE AFFECTIBVS.

ARiſtoteles in rhetoricis ſuis rationem affectuum prudẽter tractauit, eáque pars vel præcipue digna eſt aſſiduo vſu, quippe in qua ſit omnis eloquentiæ fructus.Nã is profectò perſuadet qui optime affecerit animum audientis. Affectuũ ratio.

Duplices autẽ omnino ſunt affectus,lęti,& triſtes. Læti qui gaudium conciliant audientis animo: quomodo ad gratulandum hortamur. Triſtes,quomodo iram,ſeu indignationem,ſeu miſericordiã mouemus. Præter alias elegantiſſima eſt & pleniſſima affectuũ oratio Marci Ciceronis de reditu ſuo. Affectus duplices.

Eſt autem affectus nihil aliud quàm circunſtantiæ emphaſis & enargia. Vt cum dico patriam mihi deſerendam eſſe, circunſtantijs hoc velut expolio, & ſic dico relinquendum eſſe mihi patrem ſenem, cui Affectus quid.

vnicus ſim filius, adoleſcentulã coniugẽ liberos obſequentiſſimos,fratrem quo in terris nihil mihi contigerit amabilius,denique lares,penatéſque patrios ac familiares. Deinde proficiſcendum aliquò ad barbaros &c.Sic igitur dico, affectum eſſe enargiam circunſtantiarum.Itaque mouentur affectus à circũſtantijs, cum gratum aliquid,ridiculum,blandum,execrabile, miſerandum, indignãdúmve in mediã cauſam incidit. Plurimum valet in affectibꝰ vis proprietáſq; & ſplendor verborũ, & illa quã vocat δείνωσιν Quintilianus,qua virtute præcipue Demoſthenem valuiſſe indicat pars orationis pro Cteſiphonte,qua in mores Æſchinis inuehitur, vbi Tragicam ſimiam illum nominat,deinde in deſcribẽda eius adoleſcentia operoſe verſatus affectuum gratia.Eſt & apud Ciceronẽ in Piſonem,in Verrem plena affectuum oratio.

Mirus eſt in his Virgilius poeta, cuius aliquot exempla adducemus, quò videatis affectum eſſe vim circunſtantiæ.Vt ab ætate,Infelix puer atque impar cõgreſſus Achilli. Item,Dauni miſerere ſenectæ.

A fortuna ſeu conditione,Tot quondam populis,terríſque ſuperbum,Regnatorem Aſiæ. Item,Exulibúſne datur ducenda Lauinia Teucris? A loco: Dulces moriens reminiſcitur Argos. Item,Nos patriam fugimus. A cauſa,vt Æneas adhortans ſepeliri occiſos,cauſam addit,Qui ſanguine nobis,Hãc patriam peperêre ſuo.Item,A modo,Altaria ad ipſa trementem Traxit, & in multo lapſantem ſanguine nati.Solẽt & πάθη extrinſecus moueri à ſimili,ab exemplo hiſtorico,ſeu fabuloſo,vt

Si potuit manes arceſſere coniugis Orpheus,
Threicia fretus cithara fidibúſque canoris,
Si fratrem Pollux alterna morte redemit.

Vehementer conferunt repetitiones & conuerſiones ad mouendos affectus. Exclamatio eſt ipſe affectus. Qui inſpirare oratiōnē exclamationibus volet, accipiat à circunſtātijs. Reliqua qui volet de affectibus, à Quintiliano petat. Quicquid enim eſt affectuum, à circunſtantijs, vel ſimilibus, exemplis, minore, maiore, petitur. Hinc & ridicula, & ironica, & alia trahuntur huius generis. Mihi ſatis eſt notaſſe breuibus locos affectuum, quos neſcio an ex rhetoribus multi attigerint. Valet cognitio circūſtantiarum, locorum communium, affectuum, ad ſuaſorias maxime, aliâs in reliqua quoq; genera volgatur

DE GENERE DELIBERATIVO.

GENVS DELIBERATIVVM eſt, quo de futuris deliberamus, hortamur, aut dehortamur, precamur, aut deprecamur. Huius generis quæſtiones ſunt, Eſt'ne ſuſcipiendum bellum in Turcas? Eſt'ne delenda Carthago? Sunt'ne pueri tradendi literis? Atque hoc genus diligenter exercendum eſt, eo quòd ad ciuilium rerum adminiſtrationem maxime pertineat. Eius autem ratio quantum ad artificium attinet, ſimplicior eſt, quàm demonſtratiui generis filum. Minus hic euagamur, & modeſtius agimus, quàm in demonſtratiuis, quæ ad oſtentationem maxime ſcribuntur. Artificium verò tractaturi, de ſtatu prius dicemus.

Genus deliberatiuum

DE STATV.

De ſtatu.

IN nomine ſtatus mire variant ſcriptores rei rhetoricæ. Quod ſi appelles ſtatũ id ſimpliciter, de quo potiſſimum agitur, omniũ cauſarum ſtatus erunt, cuiuſcunqꝫ generis, ſiue demõſtratiui, ſiue deliberatiui, ſiue iudicialis: ſiue thema ſit ſimplex, vt iuſtitia: ſiue complexum, vt iuſtitia eſt virtus. Sed ſtatum appellant, id quod principaliter in controuerſiam venit. Vt Milo occĩdit Clodium iure: non agitur, occideritne Milo Clodium, an non: ſed hoc, iure occĩdit. Non erit igitur ſtatus, niſi dubij thematis. Quapropter in demonſtratiuo genere nihil dixi de ſtatu, vbi laudantur, quæ conſenſu populari certa ſunt. Quanquã & in illo fieri poteſt, vt incidant quædã, de quibus ambigitur, perinde vt in deliberationibꝰ, vbi ratio ſtatuũ ex his generibꝰ cognoſcetur.

Statꝰ quid

Eſt igitur ſtatus, vt paucis dicam, nihil aliud quàm principale ac ſummum thema, in quo conſiſtit cõtrouerſia, & ad quod referri debẽt argumenta orationis omnia. Ideóqꝫ de ſtatu quæritur in capite orationum, vt ſciri poſſit, quorſum ſint argumenta referẽda. Multos fefellit in literis neglectus ſtatus, ita vt nõnunquã dilaniata ſint argumentorum membra, quæ natura cohærebant: aut cõmiſſa inter ſe violẽter, quę diſſidebant: ob id ſolum quòd vera ſtatus ratio exciderat. Periculum faciat qui volet, vel in exegeſi quarundam Ciceronis orationum, vel in ſacris.

Status triplex.

Eſt autem ſtatus omnino triplex: coniecturalis, finitiuus, & qualitatis, id eſt triplex eſt ratio omnium, de quibus dubitari aut diſceptari ſolet, quæſtiones verò talium ſunt: An ſit, quid ſit, quale ſit. Tota ratio ſtatuum naſcitur ex quęſtionibus methodicis ſeu dialec-

ſticis,de quibus paulo ante in genere demonſtratiuo ſeu dialectico dixi. Omnis autem diſceptatio, vel hoc agit,ſit'ne factum aut faciendum, vel quid ſit factum aut faciendũ, vel quomodo ſit factum aut faciendũ.

Coniecturã an ſit facit:vt, parauitne inſidias Cæſari Deiotarus, an non? Item, reperto apud peremptum Aiacem Vlyſſe,cum cruento gladio, quæritur, occidit'ne Aiacem Vlyſſes,an non? Finitionem verò cõſtituit quid ſit:vt,ſuſtulit quippiam ex ſacro pecuniam priuatam,quæſtio eſt,quid ſit, aut quo nomine ſit appellãdum delictum,furtum an ſacrilegium. Qualitatẽ conſtituit,quale ſit quod factum eſt:iuréne occiderit Clodium Milo, an iniuria. Iũre an iniuria Camillus Gallos poſt ictum fœdus aggreſſus ſit.

Ex his quidam alij naſcuntur ſtatus, qui in controuerſias ciuiles ferè cadunt. Legales dicuntur, nec eſt inſtituti noſtri longius proſequi. Vt ex ſuperioribus his ſtatus naſcantur, prudens per ſe lector agnoſcet. Sunt autem contrariarum legum,ſcripti,& ſententiæ ambigui, & ratiocinationis controuerſiæ. Contrariarum legum, vt cum contrariæ ſententiæ ſcripturarum proferuntur : vt, Si quæſieris dominum, inuenietur tibi,ait ſcriptura.& aliâs contrà, Nemo poteſt venire ad me niſi quem traxerit pater. Contrariæ ſententiæ ſunt, prior noſtris operibus emereri gratiam confirmat, poſterior negat. Sunt igitur coniecturis tractandæ, aut ſtatu qualitatis, ſic enim cenſet Quintilianus,contrarias leges coniecturis & qualitate contineri, vt primùm,quod verum eſt ſtatuatur, poſtea coniecturis doceatur quomodo ad propoſitionem tuam pertineat, & quatenus ſententia quæ obijcitur. Vt ſi ſtatuas, Noſtris operibus non meremur gratiam:quam ſententiam confir-

mabis alijs ſcripturæ locis, poſtea diluens quæ opponuntur, doce quatenus quod dictum eſt, Si quæſieris dominum inuenietur tibi, pertineat ad ſententiã tuam. Coniecturę à præcedentibus & ſequentibus, item à cauſę circunſtantijs trahuntur. Faciunt hæ nõ raro, vt qualitate tales ſtatus tractentur. Idem fit in ſcripti & ſententiæ controuerſia, idem ferè in ambiguo. Sunt igitur ſummatim hæ controuerſiarũ quæſtiones: An ſit, quid ſit, quale ſit. Cognitio ſtatuum neceſſaria eſt diſputationibus, ſic vt paucis & ſummatim ſtatu comprehendatur, quid in vniuerſum author quem legimus diſſerat. Et hæc quidẽ de ſtatibus.

DE STATV IN GENERE DELIBERATIVO.

OMnium primum in omni diſceptatione habenda eſt ratio ſtatuum, quapropter & hic primo loco de conſtitutionibus generis deliberatiui dicam. duo frequentiſſime cadunt in deliberationes, ſtatus quæſtionis an ſit, & quæſtionis quale ſit: quid ſit, raro incidit. Deliberamus enim de incerta re, faciendúmne ſit, an non: aut vbi certo conſtat eſſe faciendum, de circunſtantia ambigitur, vt eſt ne ducenda vxor, coniecturalis quæſtio eſt. Deinde ſi conſtet eſſe ducẽdam vxorem, deliberatur, quæ nam, aut quo tempore, ducenda ſit: opulenta, an mediocris: venuſta, an quæ ſit ſtata, vt dicunt, forma. Hæc ſubtilius omnia Trapezontius, quem fuerat conſiliũ vbique ſequi, ſed non patiebatur breuitas operis noſtri, qui rudibus prorſum iſta ſcribimus

DE EXORDIO GENERIS DELIBERATIVI.

STatus veluti argumentũ eſt καὶ ἔλεγχος, & ſumma compendiaria orationis, ſeu potius cauſæ, ideo concepto argumento, oratio cõponitur. Exordij vis eſt eadem, quam ſupra in demonſtratiuo notaui: beneuolos enim, attentos, & dociles facimus. In conſilijs publicis docilitas eſt neceſſaria. Beneuolentiam maxime à perſona noſtra capimus, quum declaramus nos nulla cupiditate, non metu, non odio conſulturos. Tales ſunt apud Salluſtium Cæſaris, & Liuium Fabij. Nam oportet in conſilijs animum maxime liberum eſſe: Aptiſſimum eſt, ſi dicas te ex officio agere. Reliqua de exordijs, vt ſupra.

De exordio in genere deliberatiuo.

NARRATIO.

SÆpe incidit, vt nulla ſit omnino narratio, vt in priuatis maxime deliberationibus, ſed pro narratione eſt propoſitio, ſaltem hanc noſtram, quam probaturi ſumus ſententiam ſtatuens: vt, vxorem eſſe ducendam tibi, cum pleraque admonent, tum autem hoc maxime &c. Fit & quum diuiſione à principio vtemur in cauſa multiplici: vt, duo ſunt de quibus conſulitur ſenatus, in altero publicus honor, in altero noſtra commoda trahuntur, de vtroque igitur ordine dicam. Solemus autem narrare, cum geſtum aliquid eſt, è quo deliberatio noſtra naſcitur, vt M. Cicero in oratione pro Pompeio narrat: Bellum geri cum potentiſſimis regibus Mithridate & Tigrane, naſcebatur enim deliberatio, de deligẽdo Pompeio ex illa belli occaſione. Vt ſi quis de bello

in Turcas ſuſcipiendo agat, narrare poterit, Turcam arma in Europã mouiſſe, Dalmatas victos eſſe, Hungaros cum hoſte bis cõgreſſos, maioribus animis quã viribus: breuiter, eſſe immaniſſimũ hoſtẽ in foribus. Ex hac narratione diuiſio ſequetur, primùm, vt dicas de neceſſitate belli gerendi: deinde, quæ res plurimum in hoc tanto periculo habeat momẽti, qua vel vna queat conſuli reipublicæ. At quando raræ incidunt narrationes, præcipue in priuatis deliberationibus, ſimpliciter proponendum eſt, & propoſitio argumentis confirmanda. Quod genus dicendi in epiſtolas frequẽter cadit, cùm aut petimus aliquid, aut hortamur, aut dehortamur.

CONFIRMATIO.

Confirmatio.

S Entẽtia noſtra quoad fieri poteſt, locis expetendorũ confirmanda eſt. Nec eſt eadẽ ratio argumentorũ in hoc genere cauſarũ, quæ eſt in didactico. Nam in didactico ex propoſitione capiuntur argumẽta in hũc modũ: Veritas proloquij ex partium comparatione naſcitur. Partium igitur definitiones, partes, affectiones & officia cõparanda ſunt, quæ cõparationes, vel cõfirmãt, vel deſtruũt. Vt ſi dubites, vera'ne ſit an falſa, Mors eſt vita: defini mortem, item vitam, & inter ſe definitiones cõpara: quæ ſi conueniant, & definita conuenire neceſſe eſt: vt, diſſolutio partium animantis, non eſt id quo conſiſtunt animantia, igitur mors non eſt vita. Iuris ciuilis cognitio, prudentia eſt: veram eſſe ſic probabis, Cognitio adminiſtrandæ ciuilis vitæ, eſt conſilium agendorum, igitur iuris ciuilis cognitio prudẽtia eſt. Fluũt igitur argumenta, eáq; innumera ex ipſa propoſiti axiomatis natura. In hoc quoq; genere deliberationũ,

vt ſit aliquid ſimile cum didacticis, tamē argumenta credo omnia extrinſecus petuntur,locique expetibilium hanc ducunt probandi ſeriem: qui quanquam referri poſſint & in didacticos locos, definitionum ſcilicet,cauſarum,ſimilium,contrariorum &c.tamē hoc à rhetorum ſcholis paulo eſt remotius. Spero autem nos in hac re connitemur quoad licet rem planiſſime abſoluere,vel hoc etiam,quo vſus Topicorum Ariſtotelis diſcatur.

Loci igitur argumentorum generis deliberatiui ſunt tres:Honeſtum, vtile, facile. Honeſtas vere boni rationē habet,eáque eſt in ijs quæ ipſi nos conſilio & virtute facimus, in moribus,in patrijs inſtitutis,in religione, in legibus. Inhoneſta ſunt contrà, quæ per turpitudinem fiunt. Vtilitatis ratio latius patet. Neque enim ſolum eſt in his, quæ ipſi nos facimus:ſed in omnibus, quorum vſum monſtrauit aliquem natura.

Loci argumētorum generis deliberatiui. Honeſtum. Vtile.

Facilitas in occaſione,& circunſtantijs cauſæ maxime conſiſtit. Facile.

Singuli duplices ſunt,vt honeſtas ex parte noſtra, ex parte eius de quo deliberatur. Item vtilitas ex parte noſtra,& eius de quo deliberatur. Iam in his quoq; eſt habenda ratio locorum inter ſe. Nonnunquā vtilitatis ratio potior eſt honeſto,nonnunquam honeſtū præſtat vtili,imò inter ſe alia honeſti ratio pręſtat aliā. Ex his tribus locis,& tali eorū comparatione,neceſſe eſt totam orationem ducere:Sunt autē paſſim argumenta exemplis cōprobanda, quæ nō alio loco plus valent,quàm in deliberationibus: nā alienæ fortunæ ſucceſſu,vel creſcūt animi,vel deterrētur. Sempérque ea plurimū habent momenti ad perſuadendum,quæ maximam rei de qua conſulitur aſſequendæ ſpem

faciunt. Et in exemplis illa plurimum poſſunt, quæ ad noſtram cauſam proxime accedunt. Vt ſi de Turca oppugnando deliberes, efficacius erit Sygemundi exemplum, quo imperatore, noſtris temporibus aliquot cæſæ ſunt legiones, quàm quæ à veterum temporibus, ab Alexandro, Iulio, aut ſimilibus petuntur. Hæc rurſum affectibus varijs velut animanda ſunt, quos circunſtantiæ ſuppeditabunt. Confutatio contrarijs locis conſtat.

Peroratio enumeratione conſtat & affectu. Enumeramus enim primùm paucis, & veluti per epilogum colligimus, quod eſt in cauſa vehementiſſimum, deinde hortamur amplificationibus, exemplisve maxime ad cauſam pertinentibus.

Exemplũ primum ex Liuio.

HÆc ego primùm exemplis aliquot oratorum declarabo, poſtea latius perſecuturus, ſi qua videbuntur. Magnifica eſt oratio Liuij contra Bacchanalia & obiurgatoria, ſeu dehortatoria, vt & aliâs ille ditiſſimus eſt exemplorum generis deliberatiui, ſed huius eſt hoc artificium. Exordiũ, à cauſa ipſa ducitur, ad attẽtionem totum pertinet. Inſinuatio eſt, cum caſu à præfatione criminis incipit ſic: Nulli vnquam concioni quidem tam non ſolum apta, ſed etiã neceſſaria hæc ſolennis deorum comprecatio fuit, quæ vos admoneret hos eſſe deos, quos colere, venerari, præcarique maiores noſtri inſtituiſſent: non illos, qui prauis & externis religionibus captas mentes velut furialibus ſtimulis, ad omne ſcelus, & ad omnem libidinem agerent. Ecce hæc eſt inſinuatio, qua cauſam dubiam, grauémque orditur. Deinde dubitatione attollit, perinde ac poeta, Eloquar an ſileam? & hac dubitatione attentionem mouet: nam illa in hac cauſa maxime neceſſaria

erat. ſic enim ait: Equidē nec quid taceam, nec quatenus proloquar inuenio. Si aliquid ignorabitis, ne locum negligentiæ dem: ſi omnia nudauero, ne nimiū terroris offundam vobis, vereor. Quod ſequitur, vehementiſſimum eſt: Quicquid dixero, minus quàm pro atrocitate & magnitudine rei dictum ſcitote eſſe. vt ad cauendum ſatis ſit, dabitur opera à nobis. Atque hoc quidem exordium:

Narratio breuis eſt, quæ exponit paucis qui ſint Bacchanalibus initiati. Primùm igitur mulierum magna pars eſt, & is fons mali huiuſce fuit &c.

Argumenta dehortationis & obiurgationis ab honeſto petuntur. Honeſtum verò multiplex eſt, igitur & multis honeſti argumentis agitur. Primùm à vetuſto more arguit, non licere conuenticula, ſic maiores noſtri, ne nos quidem, niſi cum aut vexillo in arce poſito comitiorum cauſa, exercitus edictus eſſet, aut plebi concilium tribuni edixiſſent, aut aliqui ex magiſtratibus ad concionem vocaſſent forte, temere coire voluerunt &c. Deinde à priuata honeſtate, in his conuenticulis priuatim quenque deturpari, & hic afficit, à ſexu ad ætatem. Hæc ſequitur argumentū vtilitatis, inſidiari ea conuenticula reipublicæ ſic nunquam tantum malum in republica fuit, nec ad plures, nec ad plura pertinens. Quicquid ſcelere peccatū eſt, ex illo vno ſacrario ſcitote ortum eſſe, nec omnia in quæ coniurauerūt, ædita facinora habent, &c. Hæc rurſum ſequitur amplificatio, cū oſtendit quàm multi ſint, qui obnoxij ſunt tali ſacro. Hæc ad finem velut exemplis maiorum & legibus confirmantur.

Peroratio habet affectum, breuis enim oratio non indiget enumeratione.

ALIVD EXEMPLVM.

Exemplũ ſecundũ.

Diſſuaſurus bellum,quod in Turcas alij ſuadent ſuſcipiendum,ordire ab attentione,Nunquam de maiore negotio principes diſceptaſſe,vbi ſemel vniuerſorũ ſalus, fortunæ, honos agerentur. Quo magis multos conſulendos, ne per temeritatem, quam ferè mortales conſilio anteuortunt,aliter cadat res,quàm patiatur conditio noſtra &c.Forſan & inſinuationibus vtetur,qui rem non ſatis gratam auribus eorum qui deliberant,ingerit.

Narratione,proponas tãtum,Videri tibi magis temerarium,ſuſceptum iri bellum,quàm pium, quàm glorioſum.

Confirmatio, primum argumentum ab honeſto erit, Chriſtiani hominis eſſe, vt quàm maxime velit CHRISTO ſimillimus, hoc eſt pacis amantiſſimus eſſe.Item non licere Chriſtiano homini pro augenda ditione,augendo imperio, arma ſumere, cuius cœleſtis ſit ditio, nõ terrena:nunquã CHRISTI eccleſiã CHRISTVM propius retuliſſe, quàm cũ expers adhuc eſſet faſcium:nunquam peiore loco fuiſſe, quàm cum opulentiſſima eſſet, hic tempora totius religionis conferenda ſunt. Obiter & illi perſtringendi, qui Chriſtianos admonent falſæ gloriæ,conſeruandã eſſe maieſtatẽ imperij,decus religionis,ſacra, fana,&c. cũ tamen hoc quod dicunt imperiũ iam plus annis quadringentis nihil fuerit,præter inanem titulum.Et religionis decus eſſe,non vt opulẽtiſſima fana,ſed vt afflictiſſimi ſint & abiectiſſimi ſpiritus,hoc eſt,ab omni cupiditate mundi alieni.Non eſſe Chriſtianã plebem ſuis armis, ſed CHRISTI præſidio tutã. quin verendum,ne ob id immiſſus ſit in ouilia Chriſtiana Barbarus ac ferox Turca,quòd cupidi nimium tyran

nidos fuerint maiores noſtri. Hic declara, quãdo, quibus temporibus, qua occaſione, vires Turcarum auctæ ſint. Vides quantum in vno honeſti loco argumẽtorum colligi potuit. Accedent huc exempla cum noſtra, tum Iudaica, vt in libris Regum, & apud Hieremiam prophetam, qui ſaluam fore Iudęam prędixit, ſi Aſſyrijs ſe ipſa dederet.

Primus eſt vtilitatis locus, in illo partire tempora, quid in apparatu belli, in expeditione, poſt bellum, etiam ſi vincatur, incommodorum paſſuri ſimus. Ad extremum quibus incommodis dimicarint in Aſia, Friderici, Chunradi, &c. Facultas, quo loco ſit hoſtis inuadendus, ſtultum eſſe in regionem ignotã, inſuetámque noſtris hominibus tanto periculo proficiſci, vbi hoſtis ſe facilè terra, mari, arcium præſidio munierit. Nihil minus acceſſum eſſe, quàm Thraciã, intra viſcera noſtra minus conuenire, quàm vt hoc bellum queat ſuſcipi.

Confutatio, ab honeſto facilis eſt, quia falſam & inanem iactant gloriam, & cupiditatem tyrannidis, quorum vtrunq; longe alieniſſimum ab eo oportebit eſſe, qui ex manibus dei victoriam ſperet. Neceſſitas arguebatur, hoſtem in armis eſſe, & in foribus noſtra occupare, pugnandum eſſe iam nõ pro gloria, ſed pro ſalute, pro liberis, pro coniugibus. Ibi verò hoſtium artibus vtendum eſt: vt, ipſi inualida manu, & quaſi prædam agentes, quędam fortaſſe vaſtarunt, ſic nos illa muniamus, non totis viribus eo bellum transferentes, ne ipſi nobis malum pariamus. Experiatur in eo ſuas quæque regio vires, Germaniæ non eſſe tutum ſtipendia in Italia facere, quæ magis quàm hoſtis ipſe, ſit metuenda, &c. Reliqua quomodo confutanda ſunt, facilè ſpectabis ex cuiuſq; cauſæ circunſtantijs.

Iam vt maxime diuerſa ſentētia ſit honeſta, vtilis &c. conferatur cum noſtra, vtra præſtet.

Peroratione enumerabis argumenta, hortaberis ad pacem, ad pœnitentiam, exemplis Euangelicis, Iudaicis &c. vt meminerint principes ſe Chriſtianos eſſe, & Chriſtianis imperare, quod eſt οἰκονομεῖν. Non abutendum miſera plebe ad quamuis cupiditatem, hoc tyrannis iam ante per prophetam dictū eſſe, Væ fortes Iſraël. In hūc modū liceat exercere iuuentutem, dici nō poteſt quàm vtiliter. Simul enim & vſus rerum & communis ſenſus, & iudicium rei literariæ hac conſuetudine promouet. Ex omnibus vel hoc maxime præſtiterit, quod hiſtoriæ diſcuntur, atq; id quidem cum iudicio.

Loci in ſuaſorijs.

NVnc autem vt veluti poſtliminio redeam ad id quod eſt in hoc genere ſūmmū, hoc eſt, ad rationem locorum, vnde argumenta in ſuaſorijs trahuntur. Rerum omniū inter ſe duplex comparatio eſt, alia à ſubſtantijs ducitur, alia à διαθέσεσι ſeu accidentibus. Prior eſt quam prædicationem eſſentiæ dialectici vocant. Poſterior, prædicatio accidentiū vulgo dicitur. Priore modo res illæ tantum inter ſe conferuntur, quæ eiuſdem ſunt naturæ. Conferuntur autem vel ſimpliciſſime, finitionibus. vt quum declaratur ſic alterū cum altero conuenire, vt vel prorſus eadem ſint, vel altero poſito nō poſſit alterum non ſequi. Inde loci ſunt definitionis, ac paſſionum, & conſectanei, Homo eſt, eſt igitur animal. Homo eſt, eſt igitur anima rationis capax. Pietas eſt, eſt igitur virtus. Concupiſcentia eſt, eſt igitur peccatum. Bonum eſt expetendum, malum eſt vitandum. Quā comparationem, ſimplicem voco. Non enim duo inter ſe ſubiecta comparantur, ſed vnum ſubiectū cū

vno prædicato. Accidentaria rerum comparatio eſt, aut ſimplex, vt Cicero defendit rempublicã Romanam: aut coniuncta, vt Ciceronis oratio plus profuit reipublicæ Romanæ, quàm militaris Marij virtus. Omnium vſus eſt in argumentando, ſimplicis, coniũctæ, neceſſariæ, & extraneæ comparationis. Sed aliarum alius modus eſt. Nam in omni probatione contuendus eſt finis conſilij, quale ſit quod probaturi ſumus. Fines autem conſiliorum duo ſunt, expetere, & vitare. Probatio docet, quare id quod ſtatuimus expetendum ſit, aut fugiendum. Semper igitur prima in probando propoſitio conſtituetur ex verbo expetendi aut vitandi, & ex cauſa docente quare quod ſubijcitur expetendum ſit aut fugiẽdum, vt ſi ſtatuas bellum eſſe ſuſcipiendum cum Turcis, ſic oportet probes: Iuſtum bellum ſuſcipiendum eſt: vt cum Turcis gerantur bella cauſę iuſtę ſunt: eſt igitur ſuſcipiendũ. Sic de vtilitate, ſic de facultate argumẽtaberis. In prima ergo propoſitione eſt conſilij noſtri finis, ſuſcipere bellum, & cauſa ſuſcipiendi belli iuſtum. Hæc probandi ratio artificioſa, ad omnem vſum probandi accõmodatur. Sic in Miloniana Cicero, Licet inſidiatorem iure occidere, Miloni Clodius inſidiatus eſt, iure igitur Clodius occiſus eſt: prima propoſitio habet finem orationis, ſcilicet, iure occidere: & cauſam, ſcilicet inſidiatorem.

Probatio in ſuaſorij[s]

Hæc igitur perpetua erit regula: Incepturus probationem artificialem à communi aliqua ſententia ordire, quæ complectatur cauſam eius quod tu defenſurus es. Nam vt in alijs cum cauſam rei agnoſcim⁹, facilè rẽ ipſam eſt cernere: ſic in artificio dicendi vincit. Efficax eſt ad perſuadendum negotij cauſa. declarat enim vim ipſam negotij ac naturã, docetq; quid

Hanc dial[e]ctici prop[o]ſitionẽ vo[]cant.

in illo ex omni parte poſitum ſit:& cum ferè in locos aliquos communes referatur, non poteſt non vrgere auditorem, quo fidem dicenti habeat. Nam ea eſt ratio locorum communium, vt cum perſuaſi vulgo ſint, qui illis nititur, facilè quoque perſuaſurus videatur. Vt nemini faciendum eſſe iniuriam, nemini vim inferendam eſſe, qui ratum habet, permouebitur, vt vindicando modum faciat, non omnia etiam hoſti in hoſtem permiſſa eſſe. Ita ſunt in ſuaſorijs & in iudicialibus loci communes, regulæ quædam viuendi generales, natura hominibus perſuaſæ, quas non temere leges naturę vocauerim, id eſt, ſententias quaſdam adeò neceſſarias, vt vulgo cõceptæ nihil ſonent quod poſſit auditor negare: Vt, beneficium beneficio repẽdendum eſt, Parentes colendi ſunt, Nemini eſt vis inferenda, Soboles, coniunx, ciues, tuendi ſunt. In republica adminiſtranda mala exempla tollenda ſunt, & ſimilia horum alia. Quorum hodie magnus vſus eſt cum Iuriſconſultis, tum Theologis. Nec felicem vllam fecerit frugem Iuriſconſultus, niſi tales communes rerum humanarum formulas ſemper in promptu habeat. Atque hæc quidem de prima propoſitione, eáque veluti fundamento totius probationis.

Hæc dialeɫticis aſſũptio eſt.

Secunda pars probationis coniungit conſilij tui ſummam ſeu finem cum cauſa, quam in priore parte confirmationis poſuiſti. Sic quod propoſitio ſecunda ſit ex conſilio tuo, & cauſa conſilij cõſtituta: Vt perinde ac prima propoſitio in probando fuit, iuſtum bellum eſt ſuſcipiendum: Ita ſecunda ſit, ſed belli gerendi cum Turcis cauſæ iuſtæ ſunt. Sic in Milonianа Marcus Cicero, poſita prima propoſitione, inſidiatorem licet occidere, ſubſequitur altera, inſidiatus eſt Miloni Clodius, vbi cum ratione qua ad defendẽ

dum vtitur Cicero,coniunctum eſt negotium.

Tertium ex his ſequitur quod ſtatuiſti,comprobatum propoſitionibus duabus ſuperioribus. Cõplexio ſiue concluſio.

Illud eſt ſcilicet artificium probãdi,& in hunc modum omnia negotij argumenta tractabis, ac ſemper oblato themate cogita cauſas thematis, & ex cauſis duc argumenta,aut alijs quæ vtcunque cauſarum vice fungi queant.Eſt autẽ hæc ratio probãdi ex cauſis ad effecta ſyllogiſtica:fueritque vtile conſilium propoſitis orationibus in ſcholis iubere, vt argumẽta in ſyllogiſmi vincula cogerentur,quò breuibus tantum & compendiarijs axiomatis totius orationis ſummam ſub oculos exponerent. Futurum hinc, vt acri iudicio iuuentus contemplaretur, quid in quoque negotio ſummum ac potiſſimũ eſſet, quo omnino vniuerſa oratio niteretur.Itẽ hoc cõſilio non minus vtile fuerit & illud,adumbrare argumentũ dicendi magiſtrũ diſcentibus,& argumenta in capita quædã, & breues ſyllogiſmos partiri,quos diſcipuli deinde viribus orationis augerent. Vt Cicero hanc auxit,inſidiatorem licere occidi, exemplis videlicet, & ratione veluti comprobatam.ſed de hoc fortaſſe rurſum dicemus infra.

Nunc reſtat,vtcum ſcias in probando,quid primo debeas loco ſpectare,quid ſecundo,doceam vnde ſint petenda argumenta.Primo quidem loco cauſa negotij ſeu inſtituti finis,ſecundo loco thema,cũ cauſa ſeu ratione ſua cõparatum,ſpectatur. Argumenta in demonſtratiuis hiſtoricis,vt dixi,citra artificiũ ſunt,vt à natalibus, indole,ætatibus &c. Sæpe in iudicialibus, teſtes,ſententiæ &c.ſed in deliberatiuis,& didacticis, eorúmque ſimilibus, ſunt artificioſæ probationes.In didacticis omnis probatio ſumi ſolet à locis quos ſupra recenſui,definitionis cauſarum,totius,ſimiliũ &c. Argumenta vnde petenda.

vt cum propoſita eſt quæſtio, An iuſtitia ſit ſcientia, à definitionibus argue, nam cum vtriuſque extremi ſint diuerſæ definitiones, non poſſunt non ipſa quoque extrema diuerſa eſſe. Sic à cauſis, iuſtitiæ voluntas cauſa eſt: ſcientiæ, intellectus: diuerſæ igitur ſunt iuſtitia & ſcientia. In deliberationibus autē ſunt quoque duplices probationes, aliæ artificiales, quibus ferè honeſtatem ac vtilitatem probamus. aliæ inartificiales, quæ à negotij circunſtantijs capiuntur, atq; ob id in artem non cadunt, ſed cuiuſque conſulentis iudicio relinquuntur. Honeſtas autem probatur dupliciter, vel intrinſecus, vel extrinſecus. Intrinſecus, vt cū definitionibus agitur: vt ſi probem bellum honeſtum eſſe, quia ſit iuſtitiæ functio, qua coniugibus, liberis, ciuitati debemus vt hoſtē propellamus. Extrinſecꝰ ab effectis rei, vt à gloria, comite, pace, tranquillitate, negotiandi, mercādi, contrahēdi facultate, qui ferè ſunt victoriæ fines. Itaque honeſtas in deliberatiuis modū probādi accepit ex methodicis, id eſt, ex locis dialecticis, ſupra ſcriptis. In cauſa eſt, quod non tam honeſtatem probātes ſuademus, quàm cauſam ipſam docemus. Et poſtea cū docuimus cauſam, cohortamur, vt amplectatur quod conſulimus. Nam honeſti ea vis eſt, vt per ſe illiciat animos hominum ad amorē ſui. Vtilitas tota trahitur ab extraneis, vt ab officijs maxime. iuſtitiæ officium eſt reddere ſuum cuique: pax, & tranquillitas reipublicæ comes eſt iuſtitiæ: belli finis, omnia commoda pacis. Nam bella geruntur, vt pace liceat integrè & liberè frui. Ergo in argumentis vtilitatis congerendá, & coaceruāda ſunt eius rei, de qua dicimus officia, vt ſic effecta vſum neceſſitatémque declarent eorum, quæ propoſita ſunt. Vides igitur vt in didacticis tantum ſunt argumenta, loco-

rum præſcriptorum,definitionis, cauſarum, ſimiliũ, oppoſitorum &c. In deliberatiuis quædam ſunt inartificialia,quæ ex cauſæ circũſtantijs naſcũtur:quædam artificialia, & illa ſumũtur quoq; à ſupraſcriptis locis definitionũ, cauſarum, ſimiliũ, oppoſitorũ &c. ſed ſic vt omnia argumenta in hæc trahantur Honeſtum,vtile,facile:nã iſta in deliberationẽ cadunt.Iam te rurſus admoneo,id quod ſupra aliquoties,didactici generis rationẽ habeas,ſine quo tantũ abeſt,vt in vllo genere ſtudiorũ aliquid promoueas,vt magna ex parte ſatius fuerit nihil didiciſſe, quã neglecto didactico genere didiciſſe.Et hęc de genere deliberatiuo.

Exordio,ſuſpicionẽ inuidẽtiæ,met9 &c,purgamus.

Narratio proponit ſtatuítq; id de quo deliberatur.

Cõfirmatio probat quod ſtatuimus ab honeſto,vtili,facili.Honeſtũ ferè naturã eius explicat,de quo dicimus,ideo honeſti argumenta à definitionib9 trahuntur.Vtile ab officijs, ideo eius argumenta à cauſis & effectis ſumuntur.Facile tractatur argumentis inartificialibus. Fac memineris hic cõparandorum locorũ, vt honeſtatis cum vtilitate, honeſtorum inter ſe &c.

Confutatio,eſt diuerſæ ſentẽtiæ improbatio,quum oſtendimus diuerſum conſilium,inhoneſtum, inutile,difficile.

Concluſio enumerat & afficit.Sic eſt autẽ tẽperanda oratio,vt vbiq; per omnia multis nitamur exemplis,mire enim ſunt in ſuaſorijs efficacia exempla.

DE GENERE IVDICIALI.

TERTIVM GENVS cauſarum eſt, quod ad forum litéſq; pertinet,ac ob id iudiciale ſolet vocari, de quo mihi pauciora, ſed tamen aliqua dicenda Iudiciale genus.

ſunt,vel hoc maxime,quod tam operoſe tota rhetorũ ſchola hoc genus tractauit, propemodum relictis in ſitu reliquis duobus,cum tamẽ Didacticõ ad omnia plurimum habeat momenti:Laudatorium frequentiſſimum in deliberationes(vt in oratione pro Pompeio)Item in iudicia, vt in Cœlio, vel Archia, cadat. Sed alius fuit olim iudiciorum mos quàm hodie ſit. Tamen quæ à rhetoribus ſcripta ſunt, magno ſunt adminiculo pragmaticis illis,qui in foro iudiciiſq; verſantur.Nam cum oratoris officium poſcat, vt exacte de ſingulis cauſis dicat,neq; id ſolum,ſed ad hoc accédit,vt ſplendidiſſime & populariſſime dicat,plurimũ noſtris aduocatis commodabunt rhetores,admonent enim eorum quæ popularem perſpicuámque vulgo cauſam faciunt. Redditur cauſa perſpicua, ſi in locum aliquem communem, vt teſtium, legis naturæ, pactive trahatur.

DE STATV.

I N omni negotio contuendũ eſt, id in quo potiſſime vertitur negotij cardo,vnde vniuerſa oratio naſcitur,quo omnia argumẽta pertrahi debent.Id autem ſtatus eſt,hoc eſt,id planè quod ad ſummum intendit actor.Et(ſi mihi dialectice loqui permittitur)cum omne negotium in ſyllogiſmum colligi poſſit, coniuncta ſcilicet probatione cum negotio, eius quidem ſyllogiſmi, qui negotium complectitur,concluſio,ſtatus eſt. Vt in oratione pro Archia potiſſimum agitur,ciuem eſſe Archiam,quare oportet,vt ille ſit ſtatus & ſcopus totius orationis, & hoc diligentiſſime probetur, Archiam ciuem eſſe: ſequitúrq;,vt in probando ea ſit concluſio,nam probatio hæc eſt:Ciues ſunt aſcripti ciuitatibus cõfœde-

ratis. Archias eſt aſcriptus confœderatis ciuitatibus, igitur Archias ciuis eſt. Proinde vt in omni genere ſcriptorum in veſtibulo ipſo ſtatim cogitandum eſt, qui ſit ſcopus authoris, quid conetur, quid doceat, quid probet, quid refutet, in quem vſum vitæ aut ſtu diorum conducat, nam ille demum lectionis fructus eſt: ita in hoc genere principale quiddam contempla mur, in quo tota conſiſtit cauſa. Alioqui non video quid in vllo genere ſtudiorum ſit effecturus lector. In quo quia vniuerſus diſcētiū fructus eſt, cōmonitos vo lo eos qui docēt, vt diligēter admoneant in cōmentā do, prælegendo, ſeu docendo, de ſtatu. Status autē tres ſunt, vt paulo ante tradidi: cōiecturalis, finitiuus, qualitatis. Quæſtiones ſtatuū: an ſit, quid ſit, quale ſit. Hæ quæſtiones omnium rerum ſunt, de quibus am bigitur in quocunq; dicendi genere. In διδακτικῷ, vt an ſit mortalis anima, cur ſit mortalis anima, quid ſit anima. In deliberatiuo, vt eſtne ſuſpiciendū cum Turcis bellū? quo genere belli ſunt inuadēdi Turcæ? In iudiciali, vt, occiditne Aiacem Vlyſſes? prodiditne Troiam Æneas? Struxitne inſidias Deiotar⁹ Cæſari? Quid ſacrilegium, quid furtū, quid homicidium, quid latrocinium. Iuréne cæſus eſt Clodius? Iuréne occīdit matrē Oreſtes? Sic in omnia genera dubiorū thema tum vulgantur ſtatus, vel ſi libet, ſic dixeris, omnium generū dicendi ἔλεγχοι abſoluuntur quæſtionibus quibuſdam. Didacticon, quid ſit virtus, quæ virtutis cauſæ, quotuplex, quæ item officia, quæ affinia, quæ cōtraria. Itē quid ſit fides, quę fidei cauſa, quotuplex ſit, quæ item officia, quę affinia, quę contraria. Lauda torium, qui natales, quæ vitæ vniuerſæ conditio, quàm honeſtū, quàm vtile facinus. Deliberatiuum, éſtne Pompeius bello Mythridatico dandus impera-

Status triplex.

tor? éſtne Cæſari prorogādum imperium? quatenus eſt prorogandum imperium Cæſari? Ex talibus quæſtionibus quæ proprie ſtatuuntur probanda, ſtatus ſunt (paulo ante commonui ex his tribus & alios naſci quos vulgo legales vocant) contrariarum legum, ſcripti, & ſententiæ, ἀμφιβολίας, ratiocinationis, qui ſtatus in coniecturis aut qualitate verſātur, ſicut in ſingulorum ſtatuum argumentis apparebit. Nunc quod attinet, dicendum eſt, quomodo ſit componenda iudicialis generis oratio.

EXORDIVM.

1 Dem eſt exordij artificium, quod in genere laudatorio ſupra tractaui. Nam aut cauſa honeſta eſt aut dubia. Honeſta cōtenta eſt beneuolentia, attentione & docilitate. Beneuolentia efficax eſt, ſi ab officio tuo ducatur, itē ab inuidia aduerſarij, item à cauſa. Attentio magnitudinem cauſæ commemorat. Docilitas argumētum exponit, de qua re ſis dicturus, quid effecturus, quo ordine dicturus. Et in docilitate vel hoc primùm ſpectatur, vt diſtribuas ſeu partiaris orationē, vt, De accuſatorum ſpe primùm dicam, deinde de cauſa ipſa, in Deiotaro. Item, anteaquam pro L. Murena dicere incipio, pro me ipſo pauca dicam. Itē, anteaquā ad eam orationem veniam, quę eſt propria noſtræ quęſtionis, videntur ea eſſe refutāda, quæ in ſenatu ſæpe ab inimicis, ab improbis, ſæpe iactata ſunt, & in concione, & paulo ante ab accuſatoribus, vt rem planè quæ venit in iudicium videre poſſitis. In hunc videlicet modum præparandus eſt auditor, vt ſciat quid expectare debeat, & quorſum ſit adijciendus animus. Plurima per ſeſe lector obſeruabit exēpla. Mihiq́ꝫ videtur

non alia in exordijs pars magis neceſſaria docilitate, cum cauſæ obſcuræ dicuntur, in hiſtoricis non admodum deſydero, & eam Græci diligentiſſime quantum video, vbiq; cuſtodierunt. Et de exordio tantum, reliqua ſuppeditabit vſus.

NARRATIO,

E St geſtæ rei expoſitio, atq; vt cum iuriſcõſultis dicam, eſt ipſa facti ſpecies, caſum vocant. Conſilium eſt, eam inde ducere, vnde cauſam noſtram maxime fecit veriſimilẽ, cuius rei artifex eſt M. Cicero, & eò ducatur vſq;, vbi id incidit, quod in controuerſia ponitur, niſi alia neceſſe cohæreant. Ergo è narratione ſeu caſu elicitur quæſtio, ex quæſtione ſtatus, ex ſtatu propoſitio: ad propoſitionem ducuntur argumenta, vt in Miloniana, poſt narrationem. Illud iam in iudicium venit, non, occiſúsne ſit, quod fatemur, ſed iure an iniuria, vnde ſtatus, Clodius iure cæſus eſt, eadẽq; propoſitio eſt probanda. Nam alioqui omnis probationis initium eſt propoſitio generalis. Ingenij eſt in narrando ſeruare τὴν οἰκονομίαν perſonarum, & decôrum. potiſſimum commendat narrationẽ perſpicuitas, nec probo aut nimia breuitate ieiunas, aut nimio luxu diffluẽtes. omnino ſpiret virile quiddam narratio, nam hiſtoria eſt, quam ſi Apuleianis figuris circunducas, iam hiſtoriæ faciem exuit, & in Mileſias abit nugas.

CONFIRMATIO.

S Tatus aut propoſitio caput eſt confirmãdi. Hic verò confirmatio in ſtatuum formas diſpartienda eſt. Nam vt ante admonui, ideo de ſtatu quæritur in iudicando quocunque

genere ſcripti, vt ſciatur, quidnam veniat in controuerſiam, & qualibus argumentis tractandum ſit. Singuli enim ſtatus ſuos habent argumentorum locos, adeóq; in ſingulis propè generibus. In didactico omnis quæſtio probatur locis, quos tradidi, aut diffinitionibus, aut cauſis, aut genere, aut ſpecie, aut cõtrarijs, aut ſimilibus &c. In laudatorio factorum, ſæpe eſt aliquid ſimile iudicialibus. ideo eius cõfirmationes hinc petes. In deliberatiuo, quia omnis quæſtio eſt expetẽdorum aut fugiendorum, loci probandi generales ſunt: Honeſtum, vtile, facile, difficile &c. In honeſto argumenta à diffinitionibus, & cauſis, breuiter vt in didacticis trahuntur, vtilitatem declarant argumenta ab effectis ducta, vt iuſtitiæ effectus pax eſt. voco effecta, fines, officia, & quicquid ad ea vllo modo pertinet. Facultas eſt in argumentis ἀτέχνοις, ſimilibus, exemplis &c. In iudiciali non eſt eadem arguendi ratio per omnes ſtatus. Primùm igitur videndum eſt, quibus locis coniecturæ probentur, & illæ tractantur ἀτέχνοις aliunde accerſitis.

CONFIRMATIO CONIECTVRALIVM ACCVSATORIS.

Loci in cõiecturalibus.

1 Locus primus eſt voluntas. Is diuiditur in qualitatem perſonarum, & cauſam. Qualitas perſonarum efficax eſt ad faciendam ſuſpicionem, vt ſi declaretur ſic à puero vixiſſe Catilina, vt facile ſit cernere eum reipub. malo natum eſſe. Cauſa eſt duplex, impulſio, & ratiocinatio. Impulſio eſt temerarius impetus animi, ad faciendum aliquid temere, vt cupiditas nimia, vinolentia, iracundia, metus, & omnino omnis perturbatio animi, quæ conſilium non admittit. Ratiocinatio, quæ impellit

hominem ſpe commodorũ,vel incommodorum euitatione. Vt Cicero pro Milone, Satis eſt quidẽ in illa tam audaci,tam nefaria belua,docere magnã ei cauſam,magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas vtilitates fuiſſe. Probat enim coniecturam Clodij inſidiarum, veriſimilem. Tam impulſionem quàm ratiocinationem faciemus, qualitate perſonarum diligenter inſpecta. Hinc enim comparatio naſcitur,eius rei quæ contigit,& ſuſpectæ perſonæ collatio,vt cæſus eſt M.Cicero,Catilina Ciceroni infenſus fuit,igitur ſuſpicio eſt à Catilina cæſum. fingat in his ſibi quiſque exempla, an è cauſis ducat, non refert: ſic Cicero, Atqui Milone interfecto,Clodius hoc aſſequebatur,non modo vt prætor eſſet,non eo conſule, quo ſceleris nihil facere poſſet, ſed etiam his conſulibus prætor eſſet,quibus ſi non adiuuantibus, at conniuentibus certe ſperaſſet ſe poſſe rempublicam eludere.Proximus locus eſt comprehenſio,ſignũ circunſtantijs implicitum,per quod res arguitur certioribus argumentis,& quaſi firma ſuſpicione.Hic locus coniecturalem cauſam maxime conſiſtere facit,adeoque circunſtantias omnes cõplectitur,vt apud Ciceronẽ, Triduo anteaquam in Appia via inſidiæ factæ ſunt, Milonem periturum dixit Clodius. Huc tempus & occaſio pertinent,vel antecedens vel ſequẽs factum. huc ſigna pertinent, cæſo Aiace profugiſſe Vlyſſem, atq; hi quidem loci ſunt accuſatoris.

LOCI DEFENSORIS IN CONIECTVRALIBVS.

IN coniecturalibus ijdem quoq; defenſoris loci ſunt,qui accuſatoris ſũt,ſed ad eos alij adduntur. Abſolutio, eſt per quã ſignum

Loci quib9 vtitur defenſor.

vnde oritur ſuſpicio, diluitur, vt cadauer occiſi in ſylua ſepelij, accuſor cædis, doceo id humaniter & miſericordia commotum feciſſe.

Inuerſio, locus eſt quo comprehenſionem inuertimus, vt ſi occidiſſem, in ſepeliendo non fuiſſem occupatus. Ex his & alij ducuntur, maximéque tranſpoſitio, ſed hæc rudibus ſatis erunt. Communes loci ſunt contra teſtes, à teſtibus, contra rumores, argumenta à rumoribus, ab argumentis. In hæc qui volet colligat, quæ iuriſconſulti de ſuſpicionibus diſſerunt, quatenus fidem cauſis faciant, nam hodie res iſta legibus definita eſt. Et iuriſconſulto in hoc proderunt rhetorica, vt diſcat appoſitè vti legibus, ac ordinem conſulendo & dicendo conſeruare.

Confutatio eoſdem habet locos. Peroratio enumerat & afficit, omnino acer ſit in mouẽdis affectibus, qui coniecturalem tractat. Et de coniecturalibus tantum.

Loci coniecturarum

Qualitas perſonarũ,	
Impulſio,	
Ratiocinatio,	Ad hos addet defenſor
Comparatio,	abſolutionem, inuerſionem.
Comprehenſio.	

ARGVMENTA STATVS FINITIVI.

Status finitiuus.

VT paucis finitiuum ſtatum exequar, videtur eius vniuerſum artificium pendere ex didactico genere, ſic vt cum definitionib9 definitionẽ cõparemus. Sunt qui eius locos faciãt: expoſitionem, ratiocinationẽ, intentionẽ legiſlatoris ſeu

authoris,ampliationem, cõparationẽ. Ego in eo ſum, vt in finitiua putem ſtatuẽdum generali propoſitione,quid velimus,eámque ſententiam confirmare vel coniecturis,vel ratiocinatione,deinde cum noſtra ſententia comparare definitionẽ de qua ambigitur : id quod & in contrarijs legibus,& in amphibolo docuimus antea.Quid enim aliud eſt definitionum cõtrouerſia, quàm legum controuerſia,aut ſcripti & ſentẽtiæ?&c.

ARGVMENTA QVALITATIS SEV NEGOTIALIS STATVS.

NEgotialis ſtatus eſt, quo factum conuenit, ſed iure an iniuria factum ſit,quæritur.

Eſtque duplex,abſolutus,& aſſumptiuus.

Abſolutus ſtatus, cum ſimpliciter quod factum eſt,defenditur. Loci ſunt probandi:Natura,lex,cõſuetudo,æquum & bonum,iudicatum,pactum. Naturam voco,quæcunque iuris naturæ ſunt,vt parentem,liberos,ciuẽ tueri,& ſi quid eſt his ſimile. Ex natura naſcuntur & reliqui loci. Præſtat formulas communes agendi,quæ ad ius naturæ pertineñt, iuriſcõſultum in numerato habere,nam cum illæ conſenſu hominum pari probẽtur,facile eſt per ipſas quod cõtendis efficere.Diſcũtur illæ cum ex philoſophis omnibus,tum maxime Platonis legibus,ac Ciceronis officijs,valéntque nõ parum ad pernoſcendas eas poetæ. Leges, cognitio iuris: conſuetudinem, æquum & bonum,iudicatum,pactum,vſus fori docebit.

Aſſumptiua cõſtitutio eſt,cum per ſe defenſio infirma eſt,ſed aſſumpta re extranea cõprobatur. Partes aſſumptiuæ quatuor ſunt, conceſſio, remotio criminis,tranſlatio criminis.Conceſſio,eſt cum reus po-

ſtulat ſibi ignoſci,ea diuiditur in purgationem,& deprecationem.Purgatio,cum non cõſulto,ſed per fortunam aut imprudentiam, fatemur nos peccaſſe. Deprecatio,cum peccaſſe & conſulto fatemur, tamẽ imploramus miſericordiam,id quod fit per laudes iudicis,aliorum illius benefactorum commemoratione &c. Tranſlatio criminis,cum & culpam & crimẽ fatemur,ſed coactos aliorum peccatis, vt Oreſtes cum matrem occīdit,veniam meretur,coactus ſcelere matris. Remotio criminis,cum culpam in alios conferimus,quorum iuſſu fatemur factum. Peroratione enumera & affice.

Et hæc de inuentione,quæ vt prima eſt in negotio rhetorico,ita tota ex dialectica methodo,quã præſcripſi ſupra,naſcitur,quam ſtudioſis potiſſimum volo commendatam,quoniam ad cauſas literatas apprime neceſſaria eſt, vt ſcias, quid ſit,quàm multiplex, vnde fiat,quid efficiat. Reliqua genera rhetores magna diligẽtia perſecuti ſunt: hoc quod facile primùm erat,indoctis ſcholis ſophiſtarum relictum miror.

DE SACRIS CONCIONIBVS.

VEl maxime artificium dicendi ſacris concionatoribus curæ ſit. quos enim tã refert bene dicere,quàm eos,quibus vitæ noſtrę formandæ negotium datum eſt? At hodie nulli magis abhorrent ab eloquentiæ ſtudio,quàm iſti:nã ferè ad eccleſiaſticum munus vocãtur ex Ariſtotelico grege,nihil minus eruditi,quàm quę ſunt eccleſiaſtici cõcionatoris.Quid enim ex Ariſtotele pietatis,quid eruditionis,vt vulgo docetur,peti poteſt? Totus Ariſtoteles,quantũcunque fecerunt Angli,Galli,& Germani, frigidis commentationibus nugatur.Quædam in ip-

ſo tamen probarim, niſi deprauata eſſent inſcitia noſtrorum hominum. Nunc quod attinet, conciones ſacræ omnes aut ſunt demonſtratiuæ, aut ſuaſoriæ. Nā aut docent myſteria ſcripturarum, aut hiſtoriam tractant, aut ſuadent, vel diſſuadent. Proinde concionaturus præuideat, cuius generis futura ſit oratio, deinde orationem ad eius generis artificium exigat. Nam ſi docturus eſt, didactici ſeu methodici generis filum ſequatur. Docemꝰ dupliciter, aut ſimplex thema eſt, vt cū de iuſtitia, lege, fide, peccato dicimus. aut cōplexum thema, vt: Omnia hominū opera peccata ſunt. Liberum arbitrium ſua natura in bonū ferri, eſt impoſſibile. Lex non iuſtificat, gratia iuſtificat. Simplex thema tractari debet per quæſtiones quid ſit, quottuplex ſit, vnde fiat, quid efficiat, ídque quatenus auditorum fert captus, agatur. nam vt quàm clariſſime dicatur & copioſiſſime, ſuppeditant vires elocutionis, quas poſtea trademus. Nā ferè ſinguli loci, definitio, cauſa, effectū, ſuas habent virtutes, quibus augeri debent. Peſſime apud vulgus dicit, qui rudes animos mole rerum adobruit, ac non potius paucis imbuit, iíſque ſpecioſiſſime & ampliſſime expoſitis. id quod libro tertio per exemplum latius agemus. Modò breuiter tene locos inuentionis, Vt de fide dicturus, primùm cogita, ſimplex eſt thema, & docturus es, ſunt igitur viſendi loci generis didactici.

Quid ſit fides, iuſtitia hominis, per quā deo viuit. I

Quottuplex, vna, nā ī ſpecies partiri nō eſt neceſſe. II

Vnde fiat, infundit eam animis hominum deus, III nullo noſtro merito.

Quid efficiat, iuſtū hominē euocat è mūdo ad deū, IIII cōcupiſcentiā vincit. Nā niſi per ipſam homo placere deo non poteſt: peccator eſt, niſi per ipſam inuicta

eſt concupiſcentia:breuiter ſola efficit,quicquid in ho
mine boni eſt,credit,ſperat,diligit,confidit, caſta, for=
tis,pia eſt &c.

V Pugnans cum fide,peccatum,quo ſubinde genti=
litius hominis morb⁹ augeſcit.Falſum eſt enim quod
dicitur,ratio deprecatur ad optima.

Hæc interim ſuis confirmanda ſunt rationibus, &
exēplis illuſtranda,& augenda virtutibus elocutionis,

Complexum thema docentis,ſimile quiddam iudi
cialibus cauſis habet,quapropter & huc cōtrarias ſcri
pturæ ſententias,ſcriptum & ſentētiam,& ambiguū
refero,vt ſi ſit hæc propoſita ſententia:Omnia homi
num opera peccata ſunt:eam confirmaturus,pete lo
cos præſcriptos,definitionum, cauſarum, effectuum
&c. Sunt enim in themate duæ partes, ſeu vt philo=
ſophi vocant ἄκρα,Ex vtriuſque ratione argumenta
trahuntur.vt,opus hominis eſt, quod ſuis viribus fa=
cit.Peccatū,quod fit contra legē dei. Quæ deſcriptio=
nes,quia cauſas explicant,ſic enim ferè fit,argumen=
ta à cauſis trahentur,ſic:opera referūt vim naturámq=
que cauſarum, vires hominis labefactatæ & corru=
ptæ ſunt,non igitur boni quicquam pariunt. A ſi=
mili,vt arbor mala,malos tantum fructus fert, ita ho
mo infectus contagio originis ſuæ, ad bonum non aſ
ſurgit.Et reliqua,vt ſupra in didactico. In probatio=
nibus ſemper,quod dixi ſequendum eſt, vt primùm
ſtatuamus noſtræ ſententiæ,ceu cauſam,ſeu rationē,
ſeu fontem,vnde noſtra ſequitur:deinde cum ſenten
tia noſtra rationem illam quam poſueris, compara:
ita redduntur firmæ ſolidǽque probationes.Eſt id ge
nus probandi petitum ex Analyticis, è prima figura
ſyllogiſmorum: Hoc tamen interim ſerues,vt ſpatio=
ſo & amplo,non ieiuno ac exoſſi ſyllogiſmo agas.Ha=

bet pleraque themata complexa Chryſoſtomus, quæ ſi quis volet ſui exercēdi gratia, imitetur. pulchre adoleſcentem in talibus Plato exercet. Contrariæ ſententiæ quomodo tractentur, antè admonui. quam poſuēris, expone, confirma. diuerſam verò, coniecturis, aut ratiocinatione in tuas partes trahito. Coniecturæ, vt, quis dixit, quare, quibus &c. Sic Auguſtinus tractat contrarias ſententias, quarum altera probat merita noſtra, altera refellit: vt ſunt, Proijcite à vobis omnes impietates veſtras: contraria huic, Conuertam cōuerſionem Iſrael· quas ſic ille confert: meminerimus deū dicere, Proijcite à vobis impietates veſtras, cū ipſe iuſtificet impium: circūſtātia, videlicet deum dicere, declarat deum in cordibus noſtris hoc efficere, vt cōuertamur. ſic de alijs.

Demonſtratiuæ laudū hiſtoricæ ferè ſunt, de quibus ſupra abunde multa, maxime in enarratiuo genere. In hiſtoria habeatur ratio locorum communiū. Delibera tantum: vbi hortamur ad pietatem, à vitijs dehortamur, declaranda honeſtas, turpitudóq;: & in his ferè ſacræ cohortationes cōſiſtunt, vtilitas, vbi ſpes regni cæleſtis augetur, & quę quadrant alia, facultas, difficultáſque, facile deo viuet is, qui illi ſe permittit, difficulter qui ſuis conſilijs fidit &c. Hæc paucis annotaui, vt & ſciant adoleſcentes, quid è ſacris concionibus expectent, quo ordine excipiant. Magnū enim memorię adminiculum eſt cognitio artificij: & ſi qui legent ex ordine concionatorum non ſatis politi, habeant tamen quo vtcunque iuuentur, vſúque meliorum ſeſe erudiant.

PHILIPPI MELANCHTHONIS DE RHETORICA LIBRI PRIMI FINIS.

PHILIPPI MELANCHTHONIS DE RHETORICA LIBER SECVNDVS QVI EST DE DISPOSITIONE.

Diſponendi ratio.

QVAE PARS IN DICENDO PLVrimum habet momenti,& ad docendum mire ac fermè propriè accommodata eſt,eam, qui maxime debebant,omnino non agnoſcunt hodie. philoſophi ſcilicet,quos vocant.Exulat enim à ſcholis prorſus totum diſpoſitionis artificium,quo fit vt pauci qui hoc ſeculo profitentur philoſophiam recte doceant:pauciores,qui cũ ad tam friuolam & incompoſitam diſcendi rationẽ aſſueuerint pueri,ſenes in ſublimiore literarum gradu aliquid feliciter queant. Ac niſi Tartareticum aut Eccianum in diſſerendo tuearis ordinem,iam illi ſenſu labaſcunt, & fluctuant animis,neſcij quorſum miſeri auehãtur,hoc eſt,niſi quatuor notabilia,& tria dubia comminiſcaris,nihil intelligunt.Quod in cauſa eſt,vt à veteribus ſcriptoribus adhuc noſtri homines tam abhorreant. In concionibus illis ſacris,niſi tres propoſitiones & exemplum,vt vocant,frigidas quaſdam ex Vincentio nugas protuleris, inepte functus es officio, nec ſatis magiſtraliter te dediſti: cum longe præſtet neruoſa & integra oratio,ad veterum exemplum compoſita,vt taceã quanto hæc ſit illa vaga & rhapſodica efficacior. In acie non tam refert,quantis copijs dimices,quàm, quo cõſilio inſtructis ac diſpoſitis: ita in oratione ſummum eſt,nõ quàm optimis niti argumentis, ſed quàm aptiſſime diſpoſitis.proinde non contemnendum eſt artificium diſpoſitionis.

Diſpoſitio quid.

Eſt autem diſpoſitio, apta eorum quæ dicuntur

collocatio. Exordium primo loco ponitur, ſecundo narratio,tertio confirmatio,quarto confutatio,quinto peroratio. Hæc ita volgata ſunt,vt neminem putem neſcire,quare alia nobis tractanda ſunt.

Exordium primo loco beneuolentiam habet, quã vt augeas adde cauſam beneuolentiæ.Scio enim difficile iuuenibus eſſe inuenire,quod res ipſa non ſuppeditat.Narrationes & argumenta facilius tractam' ex ipſo rerum modo quas continent. Exordia difficiliora ſunt paratu. Primùm cape beneuolentiam, ſi videatur,aut attentos fac,vt res poſtulabit, & deinde adde cauſam beneuolẽtiæ,vel attentionis,vt,Si quid eſt in me ingenij, dandum eſt Archiæ,inquit Cicero. Captata beneuolẽtia ab officio ſuo,addit cauſam,Nã Archiæ ſtudijs ingenium meũ eſt excultum. Sic omnis oratio fit cohærens,vt poſito aliquo,comprobatio eius ſequatur. Ex illis verò ſequitur & aliud quaſi ab ipſis partum,Defendendus eſt igitur mihi Archias. Deinde quæ contra hæc poſſent dici,cõfertim demolimur, vt ne cui ſit mirum, me oratorem cum poeta Archia coniunctum eſſe,ſequitur ratio,quia & diſciplinæ ſunt coniunctæ. Hæc tu vide quàm copioſe, quàm ornate dixerit pro Archia Cicero.Nunc enim paucis tantum admoneo,vt ordinis curam habeas & ſcias quo conſilio creſcat & cohęreat oratio.Huius rei exercitium præſtant epiſtolæ,quæ confictis argumẽtis ſcribuntur,hoc eſt,quæ non ſunt factorum expoſitiones ſeu narrationes.

Exordij diſpoſitio.

Narratio tum mihi maxime probatur,ſi ordinem rei,vt geſta eſt,ipſúmque naturæ ductum ſequitur. Proxime narrationem ſuccedit propoſitio in qua vertitur cauſa,quã ſequuntur argumenta.Et de his quidem pluribus dicendum eſt.

Diſpoſitio narratiõis.

Iam antè commonui, dialectica nihil eſſe niſi acre & ſubtile rhetoricorum iudicium, & veluti cẽſuram. Nam cum omnino duplex rerum ſit conſyderatio, altera qua ſingulæ concipiuntur, altera qua cum alijs aliæ cõferuntur, duplex eſt apud dialecticos, ſimplex & complexa rerum notio. Simplex in definitione ac diuiſione conſiſtit. itaque ſimplicia themata declarantur categorijs, è quibus definitiones trahũtur. Ad hęc officijs, partibus &c. quæ ex Topicis petuntur, neque enim Topica tantum ad complexa valent. Complexa themata, propoſitiones ſeu proloquia ſunt, vbi ſimpliciter cum vno vnum confertur, vt voluntas eſt bona. E ſimplicibus propoſitionibus naſcitur, quam hypotheticam vocant.

Cauſalis propoſitio.

Huic ſubijcitur cauſalis ſeu conditionalis, quę verè habet rationem hypotheſeos: eáque argumentum eſt, nempe ἐνθύμημα. Nam in ea prior pars enuntiat cauſam, quare poſterior vera ſit: vt quia ſol oritur, dies eſt, ex hac deinde ſyllogiſmi fiunt. Syllogiſmorum cognitio verè diſponẽdi ratio eſt: & illa apud Ariſtotelẽ varietas figurarum non tractat aliud, quàm diſponẽdi & collocandi rationem. Itaque propoſito themate, & eo conſtituto de quo dicendum eſt, ſequuntur argumenta partim in artem cadentia, vt bellum gerere licet, quia licet nobis noſtra tueri: honeſta eſt iuſtitia, honeſtum igitur bellum quod iuſte geritur: partim in re poſita, quæ arte comprehendi non poſſunt, vt bellum in deſertis regionibus geritur, igitur commeatu opus eſt aliunde.

Artificialiũ argumentorum diſpoſitio.

Iam docebo quomodo digeras artificialia argumẽta, quorum modum planè & ἄτεχνα imitantur. Statim poſt propoſitionẽ, quæ eſt orationis ſumma (nã vna principalis propoſitio qua conſiſtit cauſa proba-

tur)vt poſt hanc propoſitionem,iure occiſus eſt Clodius:argumentum duc ab eo quod probat ſententiã tuam.è quo veluti fonte naſcitur id quod confirmas, quod ſit ceu communis formula quæ multis conueniat,non ad hanc proprie cauſam parata: eáque quo fuerit communior,eo certior erit, talíſque propoſitio dialecticis maiorem in collocatione ſyllogiſmorum primæ figuræ conſtituit. Rhetoribus, vt vocant κρινόμενον.Id quo in ſpeciem perſpicuum appareat, augendum eſt orationis ornamentis,& comprobandum.quare & mox poſito κρινομένω,vel poſito maiore proloquio,in quo noſtri negotij cauſa comprehẽditur, ſtatim ſuccedat eius expoſitio, expoſitionem comprobatio ſequatur: tam expoſitio quàm comprobatio interim integris argumentis,interim exemplis conſtant.Poſt hæc, κρινόμενον repetendum eſt, & coniungendum cum negotio noſtro. Coniuncta inter ſe κρινόμενον & negotium, minorem(vt dialectici vocant) conſtituunt : vt rhetores ἄιτιον, & hoc expoſitione & comprobatione aperiendum eſt. Subſequitur poſt κρινόμενον & ἄιτιον concluſio,ſiue noſtræ cauſę ſtatus.Hic igitur ſit ordo in omnibus argumentis,nec eo eſt alius euidentior.

Maior propoſitio in ſyllogiſmo.

Minor propoſitio.

Fieri nonnunquam ſolet,vt interpollentur hæc argumentorum capita,ſic vt non continuo cohęreant, ſed vel excurſu,vel hyperbatis, vel alia ratione diſtrahantur,quod referre nõ multũ puto:modo & illa quę interſeruntur,cauſam ornent.In ſimilibus, cõtrarijs, non eſt neceſſe,niſi ſimile ponere,& cum poſito comparare noſtrum thema, neque enim ſimilia aut contraria tam ad probandum faciunt, quàm ad declarandum.

Sed vt hæc clarius intelligantur, ſimul vt ſciant iu-

uenes in quem vſum Ariſtoteles docuerit artificium ſyllogiſmorum,& illud eſſe diſponendi rationem,aliquot exemplis quæ dicta ſunt explicabo.

Status Milonianæ cauſæ, iure cæſum eſſe Clodiũ, argumentum quo potiſſimum cauſa nititur eſt hoc, inſidiatorem licet iure occidere. Clodius fuit inſidiator,ergo licuit Clodium occidere. quæ ſic tractantur à Cicerone,vt mirè valeat ad euidentiam cauſæ ordo. Nam ante narrationem copioſe docetur, licere inſidiatorem occidere. narratio in ſecunda parte conſiſtit,Clodium fuiſſe inſidiatorem.hinc ſtatus cõſequitur: vnde intelligis, quam ob cauſam narratio Milonianæ ſit in mediam dilata orationẽ,eo quod & ante conſtabat factum, & ſecunda pars probationis facto nitebatur.

I Inſidiatorem ius permittit occidere, κϱινόμενον.

II Clodius inſidiatus eſt Miloni,ἄιτιον.

III Igitur Clodium fas fuit occidere,Status cauſæ.

In hunc modum collocari debent omnia argumenta,Vt in deliberatiuis,ab honeſto ducturus argumẽtum,in eum colloca modum.

I Quicquid contra Euangelica decreta fit, inhoneſte fit,κϱινόμενον

II Bellum inferre vlli mortaliũ,cum euangelicis decretis pugnat,ἄιτιον.

III Igitur bellum inferre Turcis inhoneſtum eſt.

Vtilitatem exemplis declaro. Ibi vnum eſt prologuium,qui cum noſtræ cauſæ ſumma comparatur.

I Noſtra ætate magno malo reipub.noſtræ.Sigiſmũdus dimicauit cum Turca, idq; erit vice τοῦ ἀιτίου.

II Ergo & nos dimicabimus infeliciter cum Turca.

In ſumma cenſeo in omnibus maxime ſequendũ naturæ ordinem,vt in didactico primo loco ſit finitio,

ſecundo diuiſio, deinde membrorum quæ in diuiſio‑
nem venerunt definitio, quarto definitorum officia,
quinto eorum inter ſe comparatio: quæ quia antea vi‑
deor ſatis attigiſſe, nūc ſuperfluum eſt longius duce‑
re. Et hæc ſatis erunt ijs, qui ad ipſa, cum vſum, tum
veterum ſcriptorum commentarios adhibebunt.
Multum ad hæc dialectica valent, ſi in hos vſus com‑
parentur. Et nos ſi quando ad ea fuerit ocium, ſic tra
ctabimus, vt cōparata cum rhetoricis, ſint vſui futu‑
ra ſtudioſis. Nihil enim ex his probo, quæ noſtra æta‑
te in ſcholis leguntur. In laudatorio perſonarum, ſug
gerent ætatis diſcrimina, ordinem: & quum ſit hiſto‑
ricum filum, facilis erit diſpoſitio. Proſopopœiæ perſo
narum modum habent. Vt Moria apud Eraſmum
primùm natales ſuos recenſet, deinde quid ſingulis
mortalibus commodi afferat, & ordine peragrat ho
minum ætates & conditiones. In factis, quoniam
laudantur honeſto, vtili & difficili, primo loco erit
honeſtas, ſecundo vtilitas, tertio difficultas, ſi videbi‑
tur. Fieri enim poteſt, vt difficultas primo loco ſit, inq́;
narrationē hiſtoricam miſceatur. In deliberatiuo,
primo ferè loco honeſtas, ſecundo vtilitas dicitur, ter‑
tio facultas. Quanquam ferè deliberationes diſtri‑
buimus ſtatim in principio in docilitate, vt primo
loco dicamus nos probaturos bellum eſſe ſuſcipien‑
dum: ſecundo, quod genus belli ſit futurum, quomo‑
do ſit ſuſcipiendum. Et in eum diſtribui modum de‑
liberationes præſtiterit. Iudicialē ſic diſponas, vt com
muniſſima primo loco dicas (id generale præceptum
ad omnia videtur pertinere, nam in omnibus debēt
præferri generalia) Quæ minimū valent argumenta
in medio collocāt quidā, efficaciſſima partim primo,
partim vltimo loco. Et hęc de diſpoſitione, in qua ſen‑

tio potiſſimum hoc ſpectandum eſſe, quod dixi de diſpoſitione argumentorum, generalia proloquia, κρινόμενα, præferenda eſſe, ſubijcienda αἴτια. ex his concludendum ſtatum. Eáque qui volet quàm ſubtiliſſime tractata, Ariſtotelis libros (quos inſcripſit Priorum reſolutionum) cum his conferat. Alioqui neque in ipſo Ariſtotele multā frugem facturus. Paulo ante admonui, vtile iuuenibus eſſe vt in hunc modum magnas & integras orationes expediant, ſoluant'que in ſyllogiſmos: & contrá, argumenta quædam ſyllogiſmis tantū breuibus, & arctis vincta explicent, ducántque in orationem liberiorem & ampliorem.

Laurētius parum referre putat, vtra propoſitio præcedat.

PHILIPPI MELANCHTHONIS DE RHETORICA LIBRI SECVNDI FINIS.

PHILIPPI MELANCHTHONIS DE RHETORICA LIBER TERTIVS, QVI EST DE ELOCVTIONE.

TERTIA PARS RHETORICÆ, eáque tam neceſſaria oratori, vt ſi deſit, parum diſpoſitio, parum item inuentio ſit valitura, elocutio eſt: quæ ſententijs, verbis, & cōpoſitione adornatur. Elocutio trib9 figuris variat. Sublimi, in qua oratio habet ſublimes ſententias, grandia verba, & compoſitionem pleniſſimam, eáq; eſt, heroici carminis, aliquot orationū Ciceronis, ac Demoſthenis, epiſtola ad Romanos Pauli. Mediocri, in qua mediocres ſententiæ, verba propria & decentia, & cōpoſitio plana, ſic vt tam verba, quàm cōpoſitio paulū vltra quotidiani ſermonis vſum aſſurgāt. Humili, quæ quotidiano ſermoni ſimillima eſt, qua ſcribūtur epiſtolæ familiares. Mediocrem caractērem ſequuntur, quę ferè de philoſophia à Cicerone ſcripta ſunt. Tres caractēres orationis facile internoſces, ſi œconomiā in quouis genere ſcripti obſerues, vt quędā minora ſunt, quàm vt in heroico conueniant, at eadem rectè quadrant Bucolicis, vt: Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, Tres pateat cœli ſpacium non amplius vlnas. Hæc conueniebant Bucolico, Heroicis nō quadrant. Item ſi locos communes Marci Ciceronis conferas. Vt in officijs dicit alicubi parcè ac paucis verbis, Vim vi propulſare natura permittit. at idē in Miloniana, vide quàm ſplendide, quàm copioſe dicat, vt exemplis, vt ſententiarum ac verborum figuris adornet. Ac neſcio an aptius vſpiam exemplum duplicis caractēris habeas, quàm epiſtolā ad Roma-

Elocutio.

Elocutio triplex.

Sublimis

Mediocris

Humilis.

nos,graui charactēre ſcriptam:& epiſtolam ad Galatas mediocri: cum ſit idem prorſus vtriuſq; ſcopus, pleraq; argumenta eadem:tamen in ea quam ad Romanos ſcripſit, aſſurgit crebris figuris verborum & ſententiarum, varijs item allegorijs noui ac vetuſti Adam,literæ & ſpiritus,paſſim ab hiſtorijs petita miſcet exempla, atque hic eſt orator ille, ſi fas eſt eum verbis humanis prædicare,κράτιϛος ἀνθρώπων λέγειν, & reliqua quæ ſunt in vetere comœdia de Pericle. Ad iudicium pertinet,filum orationis & charactērem non ignorare. Ac vt niſi cognita œconomia argumenti,non poteſt abſolute cognoſci argumentū: ſic niſi habita ratione charactēris, difficile erit aſſequi capita,ductúmq; argumentorum. Omnino autē ex œconomia naſcitur character.

Nunc reliquum eſt,vt de verbis, compoſitione, ac ſententijs dicam. His enim abſoluitur elocutio. Verba ſint propria, pura, non remota ab vſu loquendi, non dura,nō ſordida, & reliqua quæ de his præcepit M.Cicero in oratore. Compoſitionis prima ac ſumma virtus eſt,vt æquabilis,gratioſa,facilis, miniméq; aſpera ſit. Pluribus hæc rhetores præceptis tradunt, ne ſit hiulca oratio concurſu vocalium, ne obtuſa literæ m frequentia,ne ſibilās vbi s ingeminatur,ne dura cum r immodice vtimur,&c. Ad hæc pedes accedunt:vt principia orationum,graciles pedes, vt anapæſtos,iambos,aut etiam interpollatos breuibus longos habent. Finiat oratio fortiori pede. Media clauſula pæanas & omnes(vbi alternæ cōcurrunt ſyllabæ) patitur. Et de his conſule oratorē Ciceronis. Hæc autē ad orationis munditiem pertinent, Quæ ſequuntur autem figuræ cum verborum tum ſententiarū, non modo ad gratiam, ſed ad robur quoq;, vímq; oratio-

nis pertinent,& omnino ad copiam. Quare conſiliū fuerit Eraſmi libellos de copia ſemper in manibus habere, è quo ſimul diſcrimē verborum, & dignitas eorum quæ dicendo plurimum poſſunt,hauriūtur. Ante omnia de amplificatione dicemus,quanquam eius modi in reliqua ſchemata incidāt,tamen cum nullius tam creber vſus ſit,quàm eſt figurarum amplificādi, vel minuendi,pauca de ipſis attingam.

DE AMPLIFICATIONE

Amplificatio. Amplificatio eſt,cum verbis aut ſententijs, plus dicimus, quàm res ipſa videatur poſcere. Verbis amplificamus, cū grauior ſignificantia & maior emphaſis deligitur, vt plus eſt raptor quàm fur. Verba incremēto, interpretatione, correctione,denominatione,circuitione, definitione, tranſlatione augemus. Minuimus ijſdem formulis, vt Paulus transferri dicit Galatas, ab eo qui vocarit &c.deinde alio ait loco:Quis vos faſcinauit non obedire veritati? In priore verbo minor eſt emphaſis, quàm in poſteriore,cæterum res eſt eadem.

Sententiarū amplificatio. Sententias amplificamus(vt docet Fabius)modis quatuor:incremēto,cōparatione,ratiocinatione,cōgerie. Per incrementum. Incremento,quum veluti gradibus peruenitur, nō modo ad ſummū, ſed interim quodāmodo ſupra ſummū.Vt apud Ciceronē: Facinus eſt vincire ciuē Romanum,ſcelus verberare,parricidium necare. Incrementū eſt in verbis,quæ ſubinde augēt ſignificātiam ſuam,facinus,ſcelus,parricidiū. In hoc etiā circūſtātijs augemus: vt Cicero de vomitu in Antoniū: Si inter cœnā,in tuis immanib9 illis poculis hoc tibi accidiſſet,quis nō turpe duceret?In cœtu verò populi Ro. negotium publicum gerens, magiſter equitū,

cui ructare turpe eſſet, is fruſtis eſculentis, vinum redolentibus, gremium ſuum, & totum tribunal impleuit. Augent hanc orationem circunſtantiæ, Inter cœnam domi tuæ minus eſt, in cœtu populi maius, gremium ſuum minus eſt, maius totum tribunal. Secundus locus eſt cõparatio, vbi minore maius creſcit. Vt, An verò vir ampliſſimus Scipio Tib. Gracchũ mediocriter labefactantem rempub. priuatus interfecit: Catilinam orbem terræ cæde atq; incendijs vaſtare cupiẽtem, nos conſules perferemus? Item. Turpe eſt iuriſconſul. ſine textu loqui: qui humana cauſatur: quanto igitur magis turpe eſt Theologum, qui diuina tractat, textu non vti? Hic locus argumenta habet minus, ſimilia exẽpla &c. Tertius locus, eſt ratiocinatio, quum veluti ſyllogiſmo colligitur maius quiddã re ipſa. Cicero, Tu igitur iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptijs exhauſeras, vt tibi neceſſe eſſet in conſpectu Po. Ro. vomere poſtridie. colligitur enim quantum vini biberit Antonius, quod illa totius corporis gladiatoria firmitas non quiuerit ferre, & concoquere. Quartus modus eſt, congeries, Græci vocant συναθροισμὸν: cum ceu diſtributione quadam partes cõgerimus, vt inde emphaſis orationis creſcat. Vt, Os, oculos, vultum, manus, vẽtrem, totũ denique corpus inſpice. Hi quatuor augendi modi, latius patent per ſchemata, vt intelligẽt, qui rei periculũ ipſi vſu dicendi facturi ſunt.

Per comparationem.

Per ratiocinationem.

Per congeriem.

DE TROPIS AC SCHEMATIBVS.

Tropi.

TRopus eſt mutatio verbi aut ſermonis à propria ſignificantia in aliam. Tropi ſunt metaphora, id eſt, tranſlatio, vt fons mali,

id eſt origo mali. cum aliqua ſignificationis ſimilitudine ducti transferimus nomē, vt apud poetā, remigiū alarum. Plerique tropi è ſimilis ratione naſcuntur.

Synecdoche, pars pro toto, vt mucro pro gladio.

Metonymia tranſnominatio, vt ſine Cerere & Baccho friget Venus.

Antonomaſia, princeps eloquentiæ, id eſt, Cicero.

Abuſio, vt parricidium, cædes matris aut fratris.

Tranſſumptio, vt pro poeta Vergilius.

Periphraſis ſeu circuitio, vt Scipionis prouidentia.

Allegoria aliud verbis, aliud ſenſu oſtēdit. Hæc maximam habet in oratione vim, éſtque iuxta proprietatem rerum exponenda quas complectitur. Vt ſi Muſas ſtudia literarū dicas, Gratias habere comites, iungendam eſſe bonis literis philantropiam, & comitatem quandam communis vitæ.

Ænigma, vt: Dic quibus in terris &c. ad oratorem non pertinet.

Ironia, illuſio, cum aliud dicitur, & aliud re ipſa apparet, Vt in Clodium: Integritas tua te purgauit. Augendæ orationi plurimum valet, adeò, vt ſæpe ironia fiat argumēto cuipiam aut loco, caput: vt, nouum crimen detulit ad te &c. pro Ligario Cicero. Naſcitur Ironia ex loco dialectico à contrarijs.

Hyperbaton, verbi tranſgreſſio, vt Septē ſubiecta trioni, Pube tenus, & ſimilia. Aliâs hyperbata ſunt, ſententiarum excurſus.

Hyperbole, It cœlo clamor. Hæc orationem comparatione auget, vt in Verrem, verſabatur in Sicilia longo interuallo, non Dionyſius ille, nec Phalaris (tulit enim illa quondam inſula multos & crudeles tyrannos) ſed nouum quoddam monſtrum &c.

Similitudo, cum ſimili ſimile declaramus & perſpi

cuum facimus, ſiue εἰκόνα, ſiue paradigma quis vocet: vbi comparamus perſonam perſonæ, factum facto, vt quem fructum ex eloquentia fecit Demoſthenes, eum coniectura eſt & Ciceronem facturum. Ad hæc & parabolæ & apologi pertinent, pulchra orationis ornamenta, ad confirmandũ, illuſtrandũ, agendúmq; mirè vtiles: ſi ſubinde miſceantur argumẽtis & locis orationum, parabolæ & apologi hi maxime probantur, qui notiſſimi, & maximorũ ſunt authorũ.

SCHEMATA.

Schema, eſt in ſenſu vel ſermone, à vulgari & ſimplici ſpecie, cum ratione mutatio. atq; vt tropus eſt ſignificationis mutatio: ità ſchemate diſpoſitio, inflexio, ductúſque mutatur, ſignificatio manet.

Schemata duplicia ſunt, verborũ & ſententiarum. Verba figuris variant, aut ſingula, vt induperator pro imperator: aut cõſtructione, vt, hic illius arma, hic currus fuit. Quas figuras quãdo diligẽter ac erudite veluti ſub oculos poſuit, in tabula quadam notatas, Petrus Moſellanus minime vulgaris ingenij iuuenis, & vſu cũ Græcæ tũ Latinæ linguæ propè incredibili, ſatius eſt ex illo ipſo authore diſcere. Et ego non aliud inſtitui ſcribere, quàm quibus cũ dialectica rhetorib⁹ cõueniret, omninóq; magis admonere, quàm docere, viam ſcilicet ijs muniens, qui dialectica emendaturi ſunt. Id'q; nobis obiter tantũ facere viſum eſt, vt ſtudioſi ad veteres quàm primũ, noſtris vtcunq; admoniti contenderent. Minore cultu ſcribo, nempe rudibus iiſque maxime quos ipſe doceo, periculum facturus, ſi quo modo reuiuiſcere queat rhetorica, & vſus ille declamãdi ac iudicandi veterum reuocari poſſit

in ſcholas noſtras. Sic olim dialectica docebatur, vt eſſet eius aliquis in omni genere literarum vſus. Hodie ſic diſcuntur, idq; perpetuis vigilijs, vt ne poſſint quidem vlla ratione reliqua ſtudia iuuare. imò ſi traducas in alia ſtudia, fieri nequit, vt ſua illis puritas, ſua vis conſtet. Id quod videmus in Theologia lymphatis quibuſdam quæſtionarijs accidiſſe. Sed redeo ad ſchemata.

FIGVRAE SENTENTIARVM.

VErborũ figuræ lumina orationis vocari ſolent, & ad delectandũ certè nõnihil, valẽt, ad permouendũ autẽ efficaces ſunt figuræ ſententiarũ, ſuntq; ceu ſpiritus & animus quidã orationis, quibus Demoſthenẽ mirè valuiſſe, Cicero author eſt, & ipſi agnoſcimus: adeóq; in his vniuerſum decus oratoris ſitum eſt, vt ne dicere quidẽ ſine ipſis quiſquã poſſe videatur. Ex figuris autẽ aliæ vim argumentorũ augent, aliæ adiuuãt ordinẽ. Itaq; in inuentione ac diſpoſitione ſunt elocutionis ſemina, vt reperto argumẽto, ſimul ratio expoliendi reperta eſt, vt infra cõmonebimus. Quare figuras neceſſe eſt vt putes eſſe notas quaſdã, quib⁹ diſcitur quid ſingulas partes deceat, quid dedeceat, quomodo tollãtur in ſpeciem, quomodo augeãtur, quæ rectè ſunt inuẽta. Quare & nos illas breuiter, & quã poteſt fieri apertiſſime tractabimus. Interim obſeruabis, propè omnia ſentẽtiarum ſchemata ex locis dialecticis emanare.

Interrogatio, hac ferè argumenta ordimur, vel concludimus, maxime cum enumeramus, vt, quid igitur faciamus? Inſtat, vrget, & ſæpe iacentem auditoris excitat animum, ideóque ad capita argumentorum vbi attentos volumus auditores, & ad fines, vbi

admonendus & permouēdus eſt auditor,apta eſt,maximéque vbi ſuſpenſus animus auditoris habet quod obijci queat,quod velut anteuortens orator,interpellat orationem,auditori ſatisfacturus,ad eam interpellandi rationem valet interrogatio. Sic Paulus ad Romanos apte interpellat ipſe ſeſe,cū dixiſſet,Vbi abundauit delictum,ſuperabūdauit & gratia,ſtatim ſubijcit:Quid igitur dicemus? Manebimus in peccato? Vides igitur interrogatio quomodo diſpoſitionē adiuuet, & caput ſit alijs figuris, vt hoc apud Paulum loco præſumptioni.

Subiectio qua reſpondemus ipſi nobis,vt eodem loco Paulus reſpōdet obiectioni,Manebimus in peccato? dicens:Abſit &c.hanc opinor ratiocinationem Cicero dixit.

Dubitatio, cū quærimus quid ex multis dicamus, vt ſiue ſtultitiam meam, ſiue fortunam cauſari licet. Paulus,In circuncīſione, an in præputio? & hæc affinis eſt interrogationi, valétque ad augendā orationē.

Exclamatio,ſignificatio eſt cuiuſcunque affectus. O tempora,o mores. compellationem huic ſchemati dant, vt, Te nunc Scipio alloquor &c.huc item pertinent inuocationes &c.

Præſumptio, cū id quod obijci poteſt, occupamus, ſiue cum tacitæ quæſtioni reſpondemus, eáque pluribus fit modis,cū aduerſa diluere volumus,vel aperte,vel clanculum. In Miloniana videbantur arma periculoſam facere cauſam Milonis, id inuertit Cicero,docétque nō modo non eſſe ex his periculum, ſed magnum per ea quoque animū ſibi addi.Sic eſt præſumptio,Non enim omnes qui ſunt ex circunciſione Iſrael,hi ſunt Iſraelitæ.

Communicatio,cum aduerſarios conſulimus,vt,

cedo ſi tu eo loco fuiſſes, nónne ſeni fuiſſes auxilio? atque hic locus multum valet in coniecturis.

παράδοξον ad ſuſpendendũ animum audientis valet. vt, nũquam credidi fore, vt talium ſcelerum vel nomen Germaniæ innoteſceret. Sic eſt, Miror quòd tam cito transferimini : ad Galatas, & valet ad exordia multum.

Permiſſio communicationi affinis eſt, cum auditoribus vel aduerſarijs aliquid in cauſa permittimus, vt, vos me quo pacto libet vtimini. hoc ſchema valet ad clauſulas concluſionum.

Licentia, cum aliquid liberius dicemus cõtra eos, quos maxime placatos oportebat, aut etiam contra nos, quæ confeſſio criminis ſæpe adulationem præ ſe fert, vt Cicero pro Ligario, Suſcepto bello Cęſar, geſto etiam magna ex parte, nulla vi coactus, cõſilio ac voluntate mea ad arma profectus ſum, quæ erant cõtra te ſumpta.

Proſopopœia, perſonæ confictio, familiarior poetis, vt Famæ apud Vergilium. Huc pertinet ſermocinatio, vbi ſermonem noſtrum alteri tribuimus, vt, ſi interueniat pater, nónne dicet? fili non fungeris officio. Huc & confirmatio pertinet, vbi in res inanimatas transfertur oratio, vt literatæ Athenæ, perfida Carthago.

Auerſio fit, cum interrupta oratione, ſermonem ad aliam perſonam conuertimus, vt cum iudici dico, & relicto iudice inuado aduerſarium, vt, quid enim tuus ille Tubero gladius &c. pro Ligario.

Subiectio ſub oculos, ſeu hypotypoſis, ſeu demõſtratio, cum res non modo geri, ſed vt geſta ſit ante oculos poni videtur, valet ad hiſtoricas narrationes maxime, ac ob id Liuio, & poetis familiare ſchema

eſt,Emphaſim habet in affectibus mouẽdis, vt apud Ciceronem,Ipſe inflammatus ſcelere ac furore in forum venit,ardebant oculi,toto ex ore crudelitas emicabat.Huic confines ſunt effictio,& notatio.

Occupatio,cum dicimus nos præterire,quod tum maxime dicimus,hoc modo, Nõ dico Catilina quàm turpiter adoleſcentiam egeris, quã omnibus probris contaminaſti.

Tranſitio breuiter oſtẽdit quid dictum ſit, & proponit quid ſequatur,vt,Modo in patriam qualis extiterit habetis,nunc cognoſcite cuiuſmodi fuerit in parentes.Hoc ſchema in diſponendo vtile eſt, & conducit ad orationis perſpicuitatem.

Correctio, quæ tollit quod dictum eſt, & magis idoneum ſupponit:fur,imò prædo.emphaſin auget.

Interpretatio,cum eadem res alijs verbis dicitur, vt rempublicam funditus euertiſti,ciuitatem radicitus deieciſti.huc definitio pertinet.

Commutatio,eſt correctio rationis:vt, non vt volumus viuimus,ſed vt poſſumus.

Expeditio,ratiocinationis ſpeciẽ habet, nam vnũ aliquid è multis ſyllogiſmis oſtendit.vt, fundus iſte meus erat, tu vſu tuũ feciſti,emptio nulla profertur, hæreditas ad te me viuo, peruenire mea non potuit, non donaui,relinquitur ergo quod vi me de meo exturbaris.In hunc modum & concluſio ferè ſe habet, quæ circunductione quadam colligit,vt,quòd ſi Danais datum erat oraculo Troiam capi non poſſe, niſi Philoctetæ ſagittis,hæ autem nihil fecerunt aliud,niſi Alexandrum perculerunt,hunc extinguere,id nimirum Troiam capi fuit.

Circũductio eſt, cum particulis cauſalibus oratio contexitur,Equidem ita fato conſtitutũ erat &c.

Diſtributio,copiæ artifex eſt,cum genus per ſpecies, corpus per membra declaramus, & maxime ad αἰτια dilucidanda pertinet,vt,honeſtum eſt bellum, quod contra Turcam ſuſcipitur, nam honeſtum eſt quo patria ſeruatur,quo religio vindicatur,quo lares, liberi,cõiunx defendũtur.Naſcitur hoc ſchema ex loco generum & ſpecierum,aut totius & partium.

Extenuatio,vitandę arrogantiæ gratia,vt,ſi quid eſt in me ingenij &c.

Frequentatio, cum res in tota cauſa coguntur in vnum locum,quo acrior ſit oratio, & conducit epilogis,vt,à quo tandẽ abeſt iſte vitioſ ſuæ proditor pudentiæ,inſidiator alienæ vitæ &c.

Expolitio, cum idem,ſed alijs ſubinde verbis auctum dicimus,& conſimilis eſt,vt videtur, interpretationi, vt, Nullum periculũ ſapiens pro republica detrectabit,ſi qua patriæ neceſſitas inciderit,quæ viri ſapientis virtutem deſyderet.inhumanus ille fuerit, niſi patriam ſummis viribus iuuet. Vagatur expolitio per omnia ferè ſchemata,quæ augere orationem poſſunt,vide Eraſmi Copiam.

Commoratio,quum in eo commoramur, quod eſt fortiſſimum in cauſa,vt Cicero in Miloniana in exponendis inſidijs commoratur,& in alijs alij.

Contentio,qua contraria referuntur,Prudentia carnis mors eſt,prudentia autem ſpiritus,vita & pax:naſcitur autem ex loco contrariorum.

Sententia, oratio ad mores pertinens, præcipuum orationis ornamentum, quo licet inchoemus, finiamus, comprobemus, quod dictum eſt. Multa horũ ſunt in omni genere ſcripti exempla,vt Plautus à ſententia orditur, Næ amicũ caſtigare ob malã noxiam,immane eſt facinus,locus in Trinumo. aliorũ,

qui volet exempla facile quiſque repetiet.

Sententiarum appellatione complector γνώμας, quæ ad mores pertinent, parœmias gnomis vicinas, item apophthegmata, & quicquid eſt huius generis.

Sententiæ ſubijcitur Epiphonema quod ad copiam multum viriũ affert,& eſt ſumma rei acclamatio,vt: Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Itẽ,Facere enim probus adoleſcens periculoſe,quàm perpeti turpiter maluit.Item noema,cum quæ nõ dicimus,intelligi tamen volumus,vt,dignus erat Socrates,vt periclis eloquentiam haberet, ſcilicet intelligitur,vt ſeſe defenderet innocens.

Item,Clauſula,quæ finis eſt orationis,gabens ſentẽtiæ ſpeciẽ,vt,prius amicitiæ iura peſſum ibunt,quã in hac tam graui cauſa deſyderes opem meam. Sunt item apoſiopeſes in affectibus,vt, Egone illam? quæ me?quæ non?Hæc hactenus.Conſiliũ enim fuit perſtringere ea,quæ maxime neceſſaria erãt adoleſcentibus ſcripturis,iiſque potiſſimum , qui in ſcholis dialecticorum verſantur.Studioſorum erit æqui boniq́ facere operam meam, per quam ſi qui promouerint nonnihil,abunde mihi magna relata eſt gratia.Equidem per hæc ſpero lucem dialecticis acceſſuram.

PHILIPPI MELANCHTHONIS DE RHETORICA LIBRI TERTII, QVI EST DE ELOCVTIONE, FINIS.

EXCVDEBAT ROBERTVS STEPHANVS PARISIIS, ANNO M. D. XXVII, XIIII CALEND. FEBR.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE